IDEA
PERFECTI SODALIS,

TERENTII ZODVTI

IDEM

IDEA
PERFECTI SODALIS
OLIM
In Prænobili Adoleſcente
JOANNE BAPTISTA
A
SCHULTHAUS
Tridenti ſpectata
NUNC
Ad imitandum propoſita
A
CONGREGATIONE MINORE
TRIDENTINA
VIRGINIS IMMACULATÆ.
Anno ſuo ſæculari.

TRIDENTI, MDCCXXVII.

Ex Typographia Joannis Baptiſtæ Monauni.
Cum Facultate Superiorum.

IN TYPOGRAPHIA IOANNIS BAPTISTÆ MAIOLINI.

ANNO MDCCXXVII.

ANNO IUBILÆI

MDCCXXVII

A

CONGREGATIONE MINORUM

OBSERVANTIUM

S. CHRISTOPHORI

A

IOANNE BAPTISTA

IN PATAVINA ADOLESCENTIA

MAIOLINO

PERFECTI SODALIS

TITULUM

ADEPTO

PRÆFATIO

Ad Parthenium Lectorem.

HAud ignobile in Cœlo fulget ſydus Via lactea *dictum, eo quod candidam nubem repræſentet, ex meris ſtellulis, ut Mathematici opinantur, coagmentatam. Si ego Prænobilis adoleſcentis Joannis Baptiſtæ de Schulthaus Laviſienſis Tirolenſis, ac Sodalis noſtri vitæ curſum apud nos exactum conſidero, videor mihi intueri in Mariano noſtro Cœlo ejuſmodi nitidiſſimum ſydus, in quo omnes vitæ actiones viſæ ſunt velut totidem fulgentiſſimi virtutum actus, tam arctè inter ſe connexi, ut unus perpetuus ſplendor appareret. Floruit in Congregatione noſtra circa annum 1635. uti in ſæculo Mariano coronato inſinuatum eſt. Patria illi celebre Laviſium Tirolis oppidum, Pater Præn. D. Julius à Schulthaus Archiducum Auſtriæ ad confinia Italiæ Commiſſarius, & deputatus Provincialis &c. Mater Præn. Domina Julia Sardagna de Hochenſtein Tridentina. Ad nos ſtudiorum cauſa delatus in Mariano Odeo brevi ad eum perfecti Sodalis aſcendit verticem, ut publica apud omnes ſuo tempore ſanctitatis opinione, qualis de viventibus haberi poteſt, inclaruerit, viſuſque ſit in Regia virtutis via quaſi manifeſta B. Virginis Patronæ ſuæ manu ita duci, ut ex una virtute perpetuò in alteram attolleretur, etiam dono lacryma-*

rum

rum insignis. Placuit autem hujus Sodalis virtutes ad omnes Marianarum legum apices examinare, eo consilio, ut, & omnes eum perfecti Sodalis numeros implevisse appareat, & Parthenio Lectori unà refricentur regularum earundem species, si fortè memoria excidissent. Cæterùm admirabiles planè virtutum actus à Tridentino hoc Sodali exerciti, & hoc libro referendi partim ex Imperio conscientiæ Moderatorum, & voluntate Præsidum ab eodem in chartam relati sunt, cujus autographum Marianis Commentariis insertum adhuc exstat: partim etiam ex ejusdem Bonis operibus in sortitione S. Menstrui oblatis, nec non actis Prænobilis Familiæ à Schulthaus desumpti sunt. Exhibet etiam succinctum Elogium pientissimi hujus adolescentis Florus Marianus anno 1722. Neoburgi in lucem editus folio 597.

CAPUT,

CAPUT I.

REGULÆ PRIMÆ SYNOPSIS.

Sodales conentur B. V. morum integrit ate imitari, ac zelum præ ſe ferre Ejuſdem gloriæ ubique promovendæ.

§. I.

Quo modo Sodalis Tridentinus B. Virginem imitatus ſit in Caſtitate.

AD perfecti Sodalis ideam efformandam duo præcipit Regula: Singularem Virginis imitationem, & præcipuum Matris cultum. Imitari & colere Chriſtianorum eſt: ſingulari imitatione & cultu proſequi Sodalium; utpote quos, út milites Principi juramentum, ſic Virgini dictum homagium arctiùs obſtringit. Eſt Virgo illuſtriſſimum virtutum omnium ſpeculum: Sodalem quoque ſpeculum eſſe oportet, quod Dei-

paræ mores in ſe recipiat, aliiſque repræſentet. Speculum quoddam eſt Maria, ſed ſpeculum ſine macula, ſpeculum puritatis, quod perpetuò intuens Sodalis noſter Joan. Bapt. à Schulthaus, quò proximiùs Virginem imitaretur Virgo, Caſtimoniam ſuam, approbante conſcientiæ ſuæ arbitro, perpetuam Deo voti religione conſecravit; quo in voto non ego tam zelum miror, quàm zelo junctam prudentiam. noluit ad hoc votum nuncupandum cæco impetu proſilire abſque prudentis viri conſiliô; ne ſibi eveniret, quod non paucis aliis; qui, quàm temerè ſeſe Deo obſtringunt, tam facilè fidem frangunt. Non cuivis contingit adire Corinthum. Licentiam non dediſſet prudens Confeſſarius, ni in Adoleſcente hoc notâſſet pro voti cuſtodia in excubiis ſtare fortiſſimum reliquarum virtutum præſidium: non dediſſet, niſi prodromis ex ſignis haud obſcurè collegiſſet, hunc Caſtitatis florem illibatum tumulo quoque inferendum. Et ſanè ſua illum haud fefellit opinio. Nam quidquid contra tentaret Caro, Mundus, Dæmon, irrito omnia conatu ad votum, quaſi ad clypeum appulſa, reſilierunt. Cùm ſuos Virgini ex aſſe dedicâſſet amores, mulierum aſpectum, alloquium, contubernium & multò maximè familiaritatem velis remíſque fugiebat. Nôrat nimirum cautiſſimus hic Ulyſſes magnum hoc mundi mare transfretantibus navim procul agendam ab his innocentiæ ſcopulis, ab his Syrenibus, quas non immeritò Martialis vocat, *hilarem navigantium pœnam, blandaſque mortes, gaudiumque crudele.*

Semel

Semel, cùm ſolus eſſet cum virgine quadam nobili, quam declinare nulla ratione poterat, nec verbùm cum ea locutus eſt, ſed ad orationem converſus, ab ea non deſtitit, donec alius ſupervenerit. An non hoc eſt pangere fœdus cum oculis, ut ne quidem cogitaret de Virgine? Puellas magnos pupillarum dolores eſſe dixit Alexander, quando Darij à ſe bello victi filias formâ excellentes ad aſpectum non admiſit. Felix Macedo! ſi, quam oculorum moderationem inter arma tenuit, etiam inter Babylonica pocula retinuiſſet, nunquam orbis domitor in fœdum voluptatum immigrâſſet mancipium. Quàm verè hìc Poëta.

Hìc labant turres, etiam virile
Pectus hìc tandem precibus liqueſcit:
Dum taces, clamat facies venuſta:
Muta perorat.

Aliàs, cùm tota fermè die apud fœminam quamdam commorandum ipſi fuiſſet, interrogatus ab amico, quo colore illa eſſet? num placuiſſet? reſpondere nil potuit; quia ne minimo quidem oculorum conjectu ejus formam delibârat. Nôrat prudentiſſimus adoleſcens jactus oculorum animorum eſſe jacula; leviter evolare, ſed graviter lædere. Nôrat Caroli Quinti Cæſaris vocem quidem fuiſſe: *Veni, Vidi, Vici*: ſed malè oculatorum aliam ſæpè eſſe næniam: *ùt vidi, ùt perii, quò me meus abſtulit error!* Adſtabat illi proxima aliquando puella cum accenſa candela in manu, quæ, cùm ſubtriſtem advertiſſet adoleſcentem, & oculos in ſiniſtrum latus intorquen-

tem, quæsivit ex illo, an fors lumen oculis essset fastidio? cui iste. *O mulier, tu mihi potiùs fastidio es, quàm lumen, quod manu profers!* Quo audito hæc rubore suffusa longiùs recessit. Cautelam hanc nimiam extitisse forsan arbitraberis, Mariane lector? sed falleris: Ursinus ille, de quo Magnus Gregorius, sacro Sacerdotis charactere insignis iam in mortis limine pedem fixerat, & tamen ad accessum fœminæ propiùs, num adhuc viveret, explorantis, extremas, quas habebat, in eam vocem collegit vires: *recede à me mulier, igniculus adhuc vivit.* Si, inquam, vir tantus, qui uxorem reliquerat, ut Religiosè viveret, post Sacerdotii quadraginta, eosqúe plures vitæ eremiticæ annos sexagenariô major ad mortis confinia deductus, cum acenso iam cereo in manu, timuit, cur non formidet adolescens in ætate tam vivida, & ad concipiendam flammam nata, factaqúe?

Matrem, quam aliquando Tridentum venire contigerat, datâ operâ nunquam aspexit, ne quidem manus illius, ut aliàs mos patriæ ferebat, exosculatus. Causam rogatus à matre, respondit *Te non aspicio, non quia mater: sed quia mulier es.* Sic est: res est soliciti plena timoris amor: etiam tuta timet: nusquam sat firma securitas, ubi periclitatur Castitas. Aliquando puellæ sibi aliquid, quo indigebat, manu offerenti, reposuit; manum priùs remove; & tunc primùm acceptavit; nec induci unquam potuit, ut vel vestes mulieris tangeret: forsan timebat, ne sicut procedit ex vestimentis tinea, ita ex muliere iniquitas Viri.

Com-

Commendaverat fœminæ neſcio quod, quo urgebatur, negotium: ſuſcepit illa has in ſe partes; ſed dum abit, rogat illa, ut ſecum iret: ita futurum, ut & citius & felicius expediretur negotium: cui iſte: *malo potiùs, ut meum negotium intermittatur, quàm hac ratione conficiatur.* Quàm ſapienter! ſua mulieri voluit concredere, ſed non ſe. Ràrò velim tibi omineris felicem cauſarum exitum, ſi ſociam adhibeas fœminam. Jam pridem in paradiſo conqueſtus eſt Adam, negotium ſuum, propter quod unicè magnum hoc mundi forum ingreſſus erat, fuiſſe everſum: cui culpam imputat? *Mulier, quam dediſti mihi ſociam.* Crede mihi, antiquum ſuum illa morem retinet: hominem ſemper expellit è paradiſo.

Nullum unquam munuſculum, à fœmina ſibi oblatum, acceptavit. Semel domicella pretioſam illi & ex Alabaſtro elaboratam corollam precatoriam dono obtulerat, quam ille reſpuit ſubdens: pretioſam ſibi reſervaret, ſibi ſuam lignéam ſufficere. Timebat nimirum, ne corona illa in mutui affectûs tranſiret compedes. Timuit Troianus ille Danaos & dona ferentes; cur non & Dalilas adoleſcens? Munera excæcant ſapientes, quantò magìs improvidos juvenes! præſertim ſi periculum non tam à dono immineat, quàm à donantis manu.

Sed in hac carnem inter & ſpiritum tam importuna lucta à verbis tandem ventum ad verbera. Audierat aliquando Sodalem impura & Veneris haram redolentia eructantem verba, quibus

ita commotus est, ut alta voce inclamanti SS. JESU, & MARIÆ nomina, uberrimæ ei ex oculis prosilierint lacrymæ: quinimmo, ut apertiùs injuriam vindicaret, obscæna proferenti sonantem totis viribus impegit alapam, qua si os impudens non obstruxit, saltem rubore suffudit.

Si à carnis concupiscentia intus enata, vel à Dæmone ingesta ad cordis fores pulsaret tentatio, baculum suum arripiebat, & in pedes, crura, totúmque corpus immaniter desæviebat. Herculem crederes cum Lernæa hydra decertantem, de qua aliàs, ut pugna continua, sic rara victoria. Nec aërem verberabat, cùm ictus senserint & caro, & dæmon, qui in turpissimam semper est actus fugam. Si in aciem iste rediret, instauraret pugnam, cominus cum illo congressus, ita faciem, frontem, caput pugnis contundebat, ut exinde retulerit tumorem, vertiginem, capitísque dolorem, semel etiam in biduum protractum. Quis neget jam, in hoc Adolescente exstitisse intensissimum Castitatis studium, unde subsecutus est tantus capitis dolor & inflammatio? Cui capitis dolori leniendo non ille rosas adhibuit, sed spinas, solitus, quando pertinacior premebat tentatio, coronam spineam, quam in arcula hunc in finem asservabat, capiti imponere, ut acerbos spinarum persentiscceret dolores caro, ne aculeos suos voluptas figeret. Sed macte animo generose pugil! Ex hoc spineto enascentur rosæ, unde tibi immarcescibilis illa virginitatis laureola texetur, qua redimitus sequeris Agnum, quocunque ierit.

Ve-

Verùm quem ſtantem & vigilem dejicere non potuit dæmon, jacentem, ac dormientem aggredi ſtatuit. At in Argum incidit etiam in ſomno centum oculis pro aureo ſuo caſtitatis vellere excubantem. Altùm aliquando dormienti malorum ille dierum tenebrio obſceno illudit ſomnio, ac in puriſſimum pectus impuri amoris flammas injicit: Quid iſte? cohorreſcit, evigilat, & velut ad repentinum incendium è lecto proſilit, ad Virginis imaginem in cubiculo proſtantem, ad Lunam illam etiam de nocte lucentem ſe proſternit, inter mixta lacrymis lamenta exclamans: *Sancta Mater, tu vides laborem meum, & in hoc meæ voluntatis repugnantiam*! Sanè alterum Joſephum Ægyptiacum crederes à lecto profugum, niſi quòd ille ipſum ſcelus fugerit, Sodalis verò noſter vel ad ipſam ſceleris umbram, ad turpe nimirum ſomnium cohorruerit. Sceleris umbram dixi; nam quidquid propudioſus Morpheus in dormientibus, negotio ſuo perambulante in tenebris, vel in mente, vel in corpore operatur, nullius peccati ream convincere conſcientiam poteſt, ſi ante ſomnum ſciens, & volens nullam dediſti cauſam, nec poſtea id, quod in ſomno peractum eſt, approbes, ratúmque habeas. Pertimuit ille tamen, quia ſicut, Gregorio teſte, piarum mentium eſt, ibi peccatum credere, ubi peccatum non eſt, ita etiam non tantùm ſcelus fugere, ſed etiam vel ipſam ſceleris umbram. Qua quidem ſua in fuga liquidò oſtendit, ſuum Caſtimoniæ ſtudium ipſum attigiſſe perfectionis verticem, ſiquidem conſummatæ virtutis indicium

est, si vel in somno ad virtutis Leges opereris.

§. II.

Quæ alia præsidia adhibuerit tuendæ castitati?

LAna, ut munda fiat, tunditur: hinc illud thema, *albescit ab ictu*: Castitas in mortificatione; cui ita addictus erat, ut ejus vita videretur, perpetuum mortificationis studium. Jejunia B. Virgini dicata abierant apud ipsum in vulgarem nimis abstinentiam, rigidiorem placuit viam ingredi. Diebus Lunæ, & Mercurii statâ lege sibi esum carnium interdixerat; quater à vino singulis hebdomadis abstinebat. Tempus illud, quod à vesperis diei Jovis, usque ad meridiem diei Sabbati intercurrebat, sic transigebat abstemiùs, ut subin ne quidem aquæ, ne dicam, vini guttulam sumeret; & id in honorem calicis Dominicæ Passionis. Nunquam meliùs sibi esse censebat, quàm ficubi palatui feciſſet ægerrimè. Insigniter noverat ejus genium defraudare, ejus appetitus frangere. Siquis cibus gustui arridebat, ab eo abstinebat; à quo verò abhorrebat, eum invito obtrudebat, nisi coactus, nunquam visus est cibum sumere delicatiorem.

Romualdus ille in palæstra Christi emeritus centum annorum miles, siquando eum delicatiore cibo proritata titillaret gulâ, cibum quidem opi-

opiparè præparari præcipiebat ; ſed ſubinde ori, naribúſque accommodans, & ſolum inde odorem captans, dictitabat : ò gula, ò gula, quàm dulcis, quàm ſuavis modò tibi ſaperet cibus ſiſte ; ſed væ tibi, gula ! ex eo tu quidem mihi nunquam guſtabis. Atque ita intactum coquinæ remittebat. Audiiſti hìc ſenem ; jam vide juvenem, de irritata pariter gula triumphantem. Audi, quid jn ſuis bonis operibus ſcribat : *Sæpiſſimè ex amore Dei vino abſtinui, & ut magìs me mortificarem, ori admovebam, atque iterum removebam. Curaveram aliquando cibum, quo omnium libentiſſimè veſcebar, à matrefamilias parari Cùm menſæ infertur, pulſat ad domus januam mendicabulum, cui ego cibum, quem ſolo odoratu guſtaveram, obtuli ad manducandum.* Delectabatur nullo magis cibi genere, quàm eſu fructuum, & præſertim uvæ, cui his in partibus dulcedo & guſtum facit & pretium. Verùm, ut palatum proritaret, ac luderet, ſub ferias autumnales vindemiæ tempore ad vineta ſe conferebat, omnia Pomonæ cimelia oſtentantia, quæ ad illecebras adoleſcentis manum, & dentes invitabant, ſed ille vincendi ſe ſtudio dies integros ibi hæſit, & ut oculos irritaret, irritatæque gulæ orexin aſpiciendo affligeret, ne quidem granum attigit, ſed vel lectitando libellum pium, vel vindemiatoribus ſpiritualia ſuggerendo monita tempus exegit. Denique ſicut ille apud Poëtam, *Spectato fonte receſſit* ; ſic iſte, poſtquam oculis omnia, gulæ nihil conceſſerat, cum ingenti facta meritorum vindemia domum ſe recepit.

Sed

Sed nec clementiùs Tactum habuit. Ter in hebdomade, & quidem tribus horis, arctè lumbos adstrinxit cilicio : præstitisset id quotidie, si conscientiæ moderator permisisset. Ter iterum acri flagello tenerum corpus conscindebat, infictis ad minimum centum ictibus, non sine profusione sanguinis. Sardanapalum illud libidinis monstrum meris rosis indormijsse ferunt : iacuisset meliùs sus in volutabro. Sed quid noster Sodalis? quater in hebdomade nudo solo, & asseri incubare compertus est, haud dubiè, quòd nec de die inter pectines & specula molliter occuparì voluerit : etiam cùm lecto somnum carperet, capiti asserculum supponebat.

Nescio quo instrumento ferreo, quod mortificationis dictârat studium, (carpentum dixisses acuminibus armatum) manus dirè excruciabat. Sæpe nudis genibus, & super saxa acuta, non nisi maximo cum doloris sensu, fundebat preces, quin claviculos, quandóque in globum contusos supponebat genibus, ut alacriùs in mortificationis stadio decurreret, calceis subin lapillos iniecerat, & ita per urbis templa precabundus incedebat. Ceterùm, quas alias se se excruciandi artes excogitârit, conscij domestici parietes fusiùs loquerentur, si fari possent. Petierat, ut die Parasceves in consueta pœnitentium supplicatione potestas sibi fieret bajulandæ crucis; quod, cùm negatum esset, tam vehementer sequenti Sabbato Sancto in templo coram Deo Eucharistico flagello in se desævijt, ut deficientibus viribus necesse fuerit eum vinô, aliisque fomentis sustentari

tari ac recreari. Habent ſanè hîc, quod erubeſcant, qui luxurianti corpori paulò inclementiùs facere perhorreſcunt: habent etiam, quod ſibi timeant. Conqueritur hic adoleſcens, quòd, non obſtantibus omnibus his caſtitatis præſidijs, non eò uſque hoſtes ſuos arcere potuerit, quin etiam dormienti minùs caſtis phantaſiæ obiectis imaginibus non rarò illuderent. unde arguere pronum eſt; Si adoleſcenti tam pio, ac per inediæ, famiſque, & magni rigoris mille documenta exercito, hæ tamen tales à Cyprijs portentis locatæ fuerunt inſidiæ, ut ei diurnis laboribus fracto, & ſuper lignei lectuli culcitram abiecto, támque parci ſomni, tam præfractè improbéque inſultarent: quid fieri illis ego Veneris nepotulis arbitrabor, quámque licenter in eos graſſabuntur hi nocturni Cupidines, quos à ludo vinóque potulentos, dapúmque cupedijs paſtos fartóſque, & longâ deſidiâ pingues, in mollibus ſtragulis, in calentibus plumis, in blandientibus umbris ad uſque ſatietatem reperiunt quotidie ſtertentes? nempe ad hos aditum non invenient hæ ſtygiæ noctuæ? aut ab ebrijs cubilibus, atque ad omne flagitium patentibus abſtinebunt; ſi in tam innocens, & abſtemium muſæum, per tantas virtutum cuſtodias illabi ſe poſſe opinantur.

Cùm ſemel integro menſe, id Superis ad virtutis exercitium permittentibus, moleſtiſſimè infeſtaretur carnis ſtimulis; licèt aliàs ſingulis hebdomadis fixa à conſcientiæ moderatore lege, trinam tantùm ſui adhiberet verberationem, tum vero leges inter arma ſilere ratus, immiti, & quoti-

diana penè manu in innocua sæviebat membra, ut sanguineam ad purpuram ruborem traheret omnis petulantia carnis. Neque hìc stetit carnis edomandæ ardor: ulteriùs progressus est; audi, quid de se scribat: *Solitus eram tempore hyemis, urgente tentatione, manè ante solis ortum aquam ex vicino fonte scaturientem manibus plenis excipere diuque tenere; quem dolorem sentiebam omnibus maiorem; ad quem præterea augendum manus inde amotas calidissimis ollarum aquis immergebam unde dolorem, quem non satis exprimere possum, sentiebam. Subinde etiam magnos inter cruciatus admovebam manus candentibus ollis, atque ita admotas aliquandiu firmas tenebam.* ita ille.

Non potui non vehementer semper admirari Mediolanensis illius Sodalis memorabile sanè facinus, qui ante diem Sacræ Communionis ad fœdas somniorum imagines præpediendas, thorace cilicino per noctem uti consvererat: contigit, ut nocte quadam conquisitum non inveniret. Dormientem inimica ludibria incessunt: ille, odiô obscœni phantasmatis, prosilit è strato, ut flagello se tueatur. cùm ne hoc quidem reperiret, linteô tantùm indutus (& erat sæva hyems) in hortum domesticum descendit, ibìque tamdiu obambulat, dum periculosus ardor extinctus est nocturno frigore. Præclarum sanè facinus! Sed si Mediolanensem hunc Sodalem cum Tridentino nostro conferas, nescio, an non: in hoc singulare quid reperias: Mediolanensis Sodalis castitas frigidô elementô examinata est: Tridentini frigidô, & calidô: per ignem, & aquam hæc

tran-

transijt, ut igne probata, aquâ perpurgata, aurum mundissimum, probatissimúmque invenire-tur.

Verùm has pugnandi artes in fortissimis his pugilibus admiror, & laudo; non cuivis suadeo: Spiritus, ubi vult, spirat: illius tantùm est similes inspirare pugnas, cuius est insolitas dare victorias. Tu magis usitata apprehende arma.

§ III.

Qua ratione Virginis Humilitatem sit imitatus?

HUmilitas tantum est Virginalis puritatis, & castitatis ornamentum, ut S. Bernardus dicere præsumpserit: *sine humilitate audeo dicere, nec Virginitas Mariæ Deo placuisset.* Quin addit: *ex Virginitate MARIA Deo placuit, tamen ex humilitate concepit.* Sed qualis quantúsque huius virtutis imitator noster Sodalis?

In aliorum opinione maximus, in sua minimus eò usque sibi viluerat, ut quando alii eum Sanctum vocitabant ille *se diabolum, & diabolo deteriorem* compellaret. Profundius se se abiicere, quî potuerit, haud ego sanè dispicio. Sed quem propria humilitas quasi ex hominum consortio infra Luciferi pedes abiecerat, aliena eum æstimatio etiam supra conditionem humanam extulit. Ob eximium castitatis studium passim an-

angelus audiebat, utpote qui carne quidem hominem, moribus verò angelum repręſentabat. Nam ùt rectè Chryſologus: *ſemper eſt angelis cognata Virginitas: in carne præter carnem vivere, non terrena eſt vita ſed cæleſtis*. Tam benè cùm ubique apud alios audiret, tam malè tamen ſuis in auribus hæc ſonabant encomia, ut, cùm aliquando plateam tranſiens à neſcio quo angelum ſe nominari audiiſſet, in proximum templum velut ad humilitatis aſylum confugerit, proſtratúſque coram Deo Euchariſtico lacrymas inter mediam horæ partem amarè conqueſtus ſit, quòd Deus permitteret, quem diabolum, quin diabolô deteriorem eſſe ipſemet ſe noverat, erroncâ vulgi opinione in angelum lucis transfigurarj. Eiuſmodi magnificas ſui opiniones tam operosè averſabatur, quàm ardenter alii eas venantur. Semel cuidam in laudes ſuas effuſo corrugata fronte quaſi offenſus repoſuit: *ſi laudare me vis, iniurijs affice; ſi autem calumniari me cupis, laudes meas recenſe*. Sic eſt, uti ſuperbi laudibus, ita plerumque humiles ſui deſpectione gaudent; quia iudicium, quod intus in corde de ſe fovent, ab aliis approbari ſentiunt. Ipſa natura duce quivis amat aliorum opinionem ſuo conformari judicio; quod quidem in Sodale noſtro de ſe tam vile erat, ut in corde omnes ſe meliores, Deóque gratiores duceret, identidem dicere ſolitus: *Se omnium abiectiſſimam creaturam, peſſimam, Deo inviſam, virtutibus nudam, inferno digniſſimam*.

Nulla fuit tam vilis functio, tam abjectum offi-

officium, ad quod ejus animi demiſſio ſe non demitteret. Pedes pauperum abluere, oſculariſque, peregrinis inſervire hoſpitibus, mediaſtinorum obſequijs fungi, ſacra loca everrere, Sodalitatis infima adminiſtrare officia pro dignitate habuit. Perductô ad finem prandiô, cœnâque, domeſtico famulitio à ſervitiis eſſe, menſæ cibos inferre, pium libellum prælegere quotidiana nobilis adoleſcentis recreatio erat. Amabat ille familiaritatem inire cum iis, quos inferior fortuna à reliquorum conſvetudine reiiciebat: hinc paupercu-lum ſtudioſum in perpetuum ſibi ſocium delegerat, quem etiam pene ex integro de ſuo alebat. Sæpiùs ſe rudem, ac ignorantem confeſſus eſt, aliólque demiſsè rogabat, ut ſe velut rudem diſcipulum edocerent. Mirabilis profectò diſcipulus, qui, dum ab infimis inſtrui non erubeſcit, factus Magiſter, ſublimem docet ſapientiam, illud ſuo exemplô inculcans, *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*. Quando per officium licuit, ſolitus erat in Mariano oratorio ſemper in ultimo conſidere loco, quem quidem morem poſtremum ſibi capeſſendi locum ſolennem ſibi voluit in omni reliqua cum mortalibus converſatione. Quando funera, aut ſacrum Viaticum ad ægros deportatum, comitabatur, tanquam indignus, qui ſe honeſti hominis lateri adjungeret, ſolus extremô locô agmen claudebat. Si templum ingrediebatur, inter ruſticos ſibi ſubſiſtendi capiebat locum, fermè ſemper ſuper nudam humum flectere ſolitus, etſi ſcamna non deeſſent. Sæpe ad templi alicujus fores ſubſiſte-

bat

bat, indignum se reputans, qui illud ingrederetur: econtra verò finitis scholis ultimus egredi constanter observatus est.

Interdum Condiscipulos suos domum è schola reduces, ut libros suos ad cuiusvis contubernia deferendos sibi consignarent, rogitabat, eos per Dei amorem, ut precibus efficaciam adderet, obtestatus; quod cum subin impetrâsset, longè majoribus incedebat lætitiis, posse se famulum agere, ac solent alii, quando se famulorum coronâ suos aucupantium nutus cingi conspiciunt. erat subin ut se se confunderet: vinum, & panem emendicabat: semel pallio centonem assui curavit. Indignaris, ni fallor, dum hoc legis, Nobilis Lector, censesque, oportuisse hunc juvenem, si sui nominis noluit, saltem stemmatis, prosapiêque habere rationem? at falleris: Hoc enim centone, hoc demissionis studio voluit in hac Humilitatis palæstra illum omnibus innatum animi fastum præmaturè supprimere, qui etiam nobiles quandòque eousque in præceps agit, ut vestium pompa, vitæque profusiore luxu, fatiscente sub nimio expensarum onere crumena, tandem ad incitas redacti, non iam uno, sed undique centonibus obsiti cum uxore, & liberis mendicatum ire cogantur.

Ut autem animi modestiam ardentissimè in se diligebat, ita etiam fastum in alijs Vatiniano odio persequebatur. Si quemquam fastuosius incedentem observabat, ne quidem caput eidem nudabat aliàs ad omnes urbanitatis leges exculti ssimus adolescens: Hîc tamen earum transgres-

sor

ſor videri voluit, ut intelligerent, qui ſe præſumptuosè ſupra cæteros extollerent, dignos non eſſe, qui communi honoris ſignificatione etiam infimis exæquarentur. Et quia ſciebat, veſtium elegantiam, aliáſque exterioris cultûs vanitates ſuperbarum cogitationum ſcaturigines, & alimenta eſſe poſſe, omnia iſta damnabat; neque in aliis ſimilia pati poterat, præſertim in Sodalibus, quos *ſoli Deo Eiuſdemque Matri placere debere, econtra ſtudere mundo diſplicere* identidem dictitabat. Minimè ipſum latuit, neglectum corporis cultum vim magnam habere mentem intra modeſtiæ terminos cohibendi, dum ſibi perſuadet, vile id eſſe oportere, quod plebeio amiculo tegitur: Sicut econtrario facile falſus ex auro ſplendor infunditur, dum pretium ſuum è veſtitu æſtimat. Hinc etiam factum, ut, cùm aliquando ei pretioſiores ex patria ſubmiſſæ eſſent veſtes, nulla ratione induci potuerit, ut illas indueret, ſed intactas & integras domum remiſerit. moderatas tamen veſtes minimè reprehendebat. imo laudabat, ſæpè dicere ſolitus, *nos exteriùs oportere mundos eſſe, non mundanos.*

Cùm multùm quoque adiumenti afferat ad animi modeſtiam comparandam culpas ſuas fateri, deprecari, ſuppliciis expiare; in hoc quoque genere à ſe deſiderari nihil paſſus eſt: Solitus erat perſæpè erratorum ſuorum veniam à ſodalibus precari: interdum flexis genibus, demiſſo capite ab iiſdem candem expetere viſus eſt: ſemel ob levem quemdam ex inadvertentia commiſſum defectum ante pedes cuiuſdam perſonæ in publico ſe abiecit

veniámque popoſcit. Aliàs à contubernali quodam enixè & quidem ad pedes provolutus rogaverat, ut ſiquem in ſe defectum adverteret, ne liberrimè ſe corrigere gravaretur.

Quando ſciebat reprehenſum ſe iri ab aliquo, ipſum ex compoſito accedebat, gratiáſque agebat eò ampliores, quò acerbior erat reprehenſio. Hoc ejus humilitatis ſtudium, tot ejus demiſſionis exempla, cùm identidem omnium oculos incurrerent, Congregationis Præſes illum non rarò conſtituit, ut ſui locò Tirones inſtrueret. Videtur iſte voluiſſe imitari alterum illum Luxenburgi Congregationis Præſidem, qui cum Tirones ad Sodalitii mores erudiiſſet, ipſo, quo inſcribebantur, die in genua provolutus, ſingulorum pedes in publico conventu exoſculatus eſt, ut *factis*, inquiebat, *nunc eos doceam, quod priùs verbis*. Profecto altiùs imprimere ſuis Tironibus humilitatis ſtudium non poterat, quàm figendo hoc oſculum. Sed nec Tridentinus hic Præſes altiùs animi demiſſionem ſuis Tironibus inſerere potuit, quàm dando in Magiſtrum vivum hoc humilitatis ſpeculum, qui omnia, quæ dicebat verbis, docebat & factis. Longa via per præcepta, brevis per exempla.

§ IV.

Quomodo ejus humilitas triumphârit de reſpectibus humanis?

NArrant Annales Franciæ, Urbanum IV. Pontificem in Concilio Claromontano Principes ad pugnandum pro terra Sancta tam acriter cohortatum fuiſſe, ut ſecuta concionem hac omnium voce: *Deus vult! Deus vult!* ad arma proſilierint, vocémque eandem in teſſeram militarem aſſumpſerint. Eò quoque Mariophilus noſter intentam curam, operámque impigram converterat, ut ſi quando in ſe Divinæ voluntatis impulſum humanus reſpectus oppugnaret, hoc eodem ſcuto: *Deus vult! Deus vult!* generosè retunderet.

Monuerat ipſum aliquando amicorum nonnemo, ut hanc tam exoticam vitæ methodum miſſam faceret: futurum aliàs, ut omnium incurreret indignationem, averſionem, & contemptum cui iſte: *hoc ipſum eſt quod quæro: ſoli Deo placere, & hominibus diſplicere*. Iterum cùm neſcio quem ſcandaloſum luſum, qui tunc temporis invaluerat, in publica multorum corona pro zelo ſuo acerbè traduceret, alius, qui adſtabat, indignabundus repoſuit: ſi ita ludum hunc cavillari pergeret, fore, ut brevì ipſi os glande plumbea obſtruatur; ſed quid iſte? *hæc me non terrent.*

Pro causa Dei nec vitam, nec mortem curo : & ità in pia ſua ſatyra intrepidus perrexit. [Et hoc erat illi ſolenne in eiusmodi eventibus ; quantò eum importuniùs turba Malorum à propoſito dimovere nitebatur , tantò preſſiùs virtuti inſiſtebat exemplo illorum cæcorum , dum Chriſtus tranſiret , clamantium: *Domine miſerere noſtri* : *turba autem increpabat eos , ut tacerent : at illi magìs clamabant*. Matt. 20.

Incidit aliquando in Religioſos mendicantes ſaccis prægrandibus onuſtos , quibus deportabant panes, aliámque eleemoſinam oſtiatim collectam. Hos rogat amore Dei , ut ſua ſibi onera geſtanda comitterent , quibus ab initio abnuentibus, cùm repetitis precibus inſtitiſſet , quod petierat , tandem impetravit : ſaccis itaque onuſtus , ſed magìs cachinnis ac ſannis onerandus urbem obambulavit, indéquè Religioſos extra mænia ad Monaſterium cum ſua Sarcina comitatus eſt eâ animi lætitiâ , ut non tam ire , quàm currere videretur.

Habuit extra civitatis pomeria obviam aliquando pauperculum hominem ſub prægrandi Sarcina , quam humeris geſtabat , vix non fatiſcentem , cujus miſertus rogat , ut ſibi deferendam committeret , à quo licet ab initio abnuente , eam tandem precibus extorſit , ínque ſuos ſublatam humeros mendicabulum uſque ad Civitatem horæ , & amplius itinere comitatus eſt, ſtudioſorum aliorúmque viatorum paſſim occurrentium ſannis ac ludibriis magìs adhuc prægravandus , quæ iſte nil veritus , cùm obſervâſſet homi-

hominem aliquantulum claudicare, eidem suam dextram porrexit, ut hac quoque in parte misellum sublevaret; sed longè magis fallebat itineris molestias spirituali suo alloquio, quo hominem ita commoverat, ut aperta daret cordis contriti indicia. Dúmque ventum erat ad urbis portas, cùm Joannes iterum institit rogare, ut sibi liceret in ipsam usque urbem Sarcinam deportare; sed cùm alter id obsequii recusaret, depositum suum mendico extradidit, liberali eleemosina adjecta. Utque hunc charitatis actum insigni sui victoria coronaret, cùm magnam hominum frequentiam ad portas stantem conspexisset, in genua provolutus, mendicabuli pedes deosculatus est: quo risu & cachinnis à procacibus exceptus fuerit, pronum erit cuivis conjectare. Tantùm aberat, ut hic illud humani generis idolum, *quid dicent homines*? curaret, veneraretur, eique genu flecteret, quin potius, ut in se everteret, exscinderet, pessumdarétque omnibus viis, & studiis allaboravit semper dicere solitus: mali socii tam parum honoris meis exemplis deferunt, ut nullus moveatur, cur ego curem ipsorum verba? Illi me non sequuntur cùm deberent, cur ego fiam ipsorum mancipium, quod longè turpissimum?

Verùm hæc ut ut obstupescenda sint in Adolescente nobili, longè mirabilius tamen facinus aggressus est, quo respectus humanos omnes velut in triumphum duxit. Hoc ut lucidius pateat, lubet illud prævia quadam historiola illustrare.

De Aloysio Lanuza S. J. ex Illustrissimo in

Sicilia ſanguine oriundo fertur, quòd, cùm adhuc adoleſcentulus eſſet, Parens ei perquàm pretioſas veſtes, quo feſtivis Paſchæ ferijs cultior appareret, dono obtulerit. Sed ipſe ſpectaculum ex ſe æqualibus facturus, in quo riſum, & ſannas referret, ipſa ſacra patientis Chriſti hebdomade illas induit, & torque aureo, alijſque exquiſitis, & mulicbribus munditijs cultum auxit, qui aliàs neglector ſui tritas, & laceras affectabat veſtes, & quando aliud non poſſet, pallium præpoſterè, quò derideretur, induc bat: itáque ornatus ingreſſus eſt ſcholarum atrium. Dum eum ſpiſſa circumſtat, velut ad inſolens id temporis excita ſpectaculum juventus, miratur, videt, & variè factum interpretatur: accedit è Magiſtris quidam diſciplinæ ſeverioris, *heus tu*, inquit, *Adoleſcens comptule! ſic parentatur extincto pro nobis Redemptoris Iſtis rependuntur vincula, chlamys coccinea, catena ferrea? ſi ſapis, pone lacinias ſume lacernam, & pro aureo torque ex fune contexta collo inijce, ſicque ornatus redi.* Dictum, factum. Remeat Aloyſius lætus optato ſucceſſu domum, & alterum de ſe heroicum ſpectaculum daturus, prorſus eo ornatu, quem Magiſter ſvaſerat, cum fune de collo pendulo ad ſcholas redit, ſtupente cum omnibus etiam Magiſtro cenſore tantam juvenis de ſe victoriam. Hæc nobilis hic adoleſcens Siculus; quid Tridentinus?

Hic cùm advertiſſet, omnia ſuis perſtrepere laudibus, ſe in omnium oculis, ore, veneratione eſſe, quæ omnia ejus humilitas extremè oderat, ut hanc ſui opinionem omnibus evelleret,

peſ-

pessumdarétque, statuit stultum se fingere, & incondito gestu, ac habitu, motibúsque incompositis amentis in modum obire urbem, omnium sannis, & cachinnis liberaliter onerandus, ut ita mundi fastum generoso pede calcando, hominibus, qui illum hucusque non nisi admirabantur, se deinceps exsibilandum præberet. Fabulam hanc primùm intra domesticos parietes orsus in familiari colloquio tam absonas, inepta, & à re abludentia proferre cœpit, ut ab omnibus deriderétur, iniecta suspicione, perpetuô illô pia commendandi studiô eò deductum, ut iam mente exerraret, hoc successu lætus tibialia diversi coloris induit alba & flava, crines sibimet ipse nullô artificiô totonderat, ut ipse aspectus omnium risum provocaret: obsoletum exesúmque pileum & quidem modò inverso capiti imposuit, pallio centonem assuit, ligulis rusticis calceos substrinxit, atque sic ridiculè ornatus, stulto propior, quàm mentis compoti domô in publicum prodit, frequentiores urbis plateas obambulat contumelijs, sannísque os præbiturus. Ac tandem in Gymnasium ita squallidus, & gestu, incessu, oréque incompositus se contulit, ut à condiscipulis quoque haberetur mente captus, divini potiùs amoris captivus.

Quid tu amice lector de hoc Sodalis nostri facinore sentias, nescio: illud scio: à S. Augustino id summi fieri, qui ita scribit: *pecunias contemnere volenti satis est facilè: honorem autem despicere multi laboris indiget, magnæ sapientiæ, angelicæ quidem cujusdam animæ est ipsum cœlestis*

celsitudinis apicem tangentis. Et ex his inferre licet : quod si angelicæ mentis est honorem despicere, quid erit, confusionem, vilipensionem, contemptum sui extremum quærere, et quidem studiô tam exquisitô?

Nec defuêre tot votis expetita, et tam ambitiosè quæsita vulgi ludibria. Nam, et promiscuæ fæcis homines, alii sibilo, et cachinnis sordidè eum excipere, alij scommatis, injuriísque passim insectari, alij acerbis reprehensionibus proscindere sunt aggressi, quo illi nil poterat accidere jucundius, nil optabiliùs. Ita ex urbe Gymnasióque domum tanquam olympico certamine victorem reversum quanta cælestium voluptatum ubertas exceperit, quæ animi malacia consecuta sit, quàm copioso affluxu divina quædam lumina sese menti infuderint: ipsemet fatebatur, se exprimere verbis non potuisse. Nec mirum; *Vincenti datur Manna absconditum*.

Hanc scenam mundo ridiculam, cœlo autem obstupescendam non tantùm in urbe hac semel iterúmque sed etiam sub ferias autumnales sua in patria dedit, quam hoc cultu, hoc habitu amentis in morem perambulavit, atque illis de causis petulantium adolescentum ludibria hilari animo excipiebat, proridiculo, atque oblectamento alijs esse gaudebat, dum inde Deo honos aliquis accederet. Audi, quid ipse de se scribat: *libenter me stultum nominari audiebam, & semper, quando audiebam, præ lætitia exultabam. Et quando post cuiusdam ludibria ad persolvendas preces accederem, capiebam novum orationis fervorem, cogitando Chri-*

stum

ſtum etiam voluiſſe pro rationis experte haberi. A Deo ferventiſſimè flagitavi, ut eſſem omnium jocus atque ludibrium. Quando Deus occaſionem dedit, ut aliqui mihi illuderent, Deo pro hac mihi gratiſſima gratia grates habebam. Ita ille.

Verùm enim verò cùm ſapientiores, id quod erat, arbitrati, latentem ſub hoc ſtulti ſchemate virtutem ſuſpicari eſſent aggreſſi, tandem fabula hæc in plauſum deſijt, ſannæ in laudes, contemptus in honores, ludibria in venerationem, ita, ut de ipſo id dici potuerit, quod de S. Paula ſcribit S. Hieronymus: *quantò plus ſe deiiciebat, tantò magis à Chriſto ſublevabatur; latebat & non latebat; fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quæ virtutem quaſi umbra ſequitur, & appetitores ſui deſerens appetit contemptores.*

§ V.

Quo zelo arſerit Marianæ Gloriæ augendæ.

VUlt altera Regulæ pars, ut in animo tuo, aliorúmque excites cupiditatem Sanctiſſimj illius nominis extollendi, quæ quidem ita in Joannis noſtri corde exarſit, ut Mariani nominis gloria omnium ſuarum actionum videretur primum movens. Petunt Sodales alii à Virgine ſuſcipi in ſervum perpetuum; iſte verò in mancipium, hoc enim nomine non alio perpetuò ſeſe erat ſo-

litus

litus compellare, ut vel ex nomine intelligeres, se, suáque omnia reapse Deiparæ obsequiis fuisse mancipata. Et ut hujus sui mancipatûs velut tesserâ quadam identidem moneretur, catenulam ferream brachio alligatam, quam mille dissuaviabat osculis, circumferebat, à quo opifice elaboratam nescio; illud scio, manui adaptatam non alio quàm ab artifice amore. Refert Vincentius Bellovacensis adolescentem non tam sanguine quàm virtute illustrem in digitis annulum gestâsse; sed quem in finem? ut Virgo ex illa tessera illum tanquam sponsum agnosceret: Mariophilus noster catenam circumtulit, ut se non tam sponsum, quàm mancipium respiceret. Hanc catenulam cùm aliquando perdidisset, diu inter lacrymas velut alteram drachmam evangelicam conquisivit. Sed non erat, cur jacturam hanc tot lacrymis prosequeretur: Prior adolescens, de quo paulò antè Bellovacensis, cùm propè ædiculam Marianam pilâ luderet, & timeret, ne annulum cum reliqua manu contaminaret, eruit illum, & digito Virginis infixit. Jam satur ludi repetiturus depositum advertit, imaginem reflexô introrsum digitô annulum acceptum sic includere, ut nisi vis fieret, digitúsque rumperetur, elabi manu, eximíque nequiret. Adolescens eô spectaculô recreatus facilè sibi persuasit, donum Virgini placuisse. Placuerit & Virgini catenula mancipii sui Joannis nostri, quam si amisit, certè Virginis affectum non amisit, in perpetuum Mnemosynon Mariani hujus mancipatûs hanc procul dubio Maria sibi reservârit.

Pri-

Primô, quo nobiſcum verſatus eſt, annô, Congregationis Ædituum egit, adoleſcens à ſanguinis claritate in paucis nobilis, egiſsétque ſemper, ni Congregatio imperâſſet, ut ſcopas cum Marianis commutaret faſcibus. Ad quod quidem Ædituí officium, quid magìs illum promoverit, an humilitatis ſtudium, an amoris meritum, haud facilè dixeris. Forſan tibi tam operoſo officio videbitur minùs apta tenera illa & delicata, & vixdum quindecim annorum ætas; aptior potiùs ob morum elegantiam, & ad omnes urbanitatis leges exacta, quæ pro more ſæculi ſubſerviret Gynecæo quam Odeo. Aſt falleris: Quas vires negavit ætas, ſupplevit amor, ſupplevit ingenium, ſupplevit ars. Trabes integras & quidem ſemel tam gravem, ut aliquot dies doluerint humeri, per publicas urbis plateas inſpectante toto populo ad Marianum Odeum deportabat. Jumentum veriùs dixiſſes, quam Marianum mancipium ad exemplum illorum factum, quibus hodie etiam non impeditis aliquot paſſus facere, vel ſchedam chartaceam ferre, formulam Marianam ipſo ſolenni inſtaurationis die propriis manibus Magnæ Matri in ara conſignare onus videtur intolerabile, ut neceſſe ſit in ſubſidium puerum vel ancillulam adhibere.

Cùm pavimentum ſcopis everreret, peri&romata explicaret, tapetes ſuſpenderet, aras adornaret, obſervatus eſt oculos identidem ad affixam parieti Virginis imaginem attollere, ſuſpirare, exclamare: *O Mater! fac ut te tuumque filium amem!* ut intelligeres, quale hoc eſſet mancipium,

quod

quod utique non ſervilis timor, ſed amor, ut operi inſtaret, urgebat, longè aliter ac modo fit, ubi quoſdam ad ejuſmodi officia vix proſcriptionis metu compuleris.

Cùm aliquando pro imminente quadam ſupplicatione pro more Marianum ferculum adornaret, ſupervenit alius adoleſcens in paucis Nobilis, alterum dixiſſes Abſalonem: tam elegantem, oblongam, & in humeros defluam nutriebat Cæſariem. Dum hoſpes hic curioſô oculô inſpicit omnia, ac perluſtrat, quærit ex eo noſter Æditimus: Num ſibi arriderent omnia? cui alter: placent omnia: unum diſplicet: quòd B. Virginis ſtatua perelegans aliàs, tam exoletam & vetuſtate exeſam cæſariem in fronte præferret, cui acutè Joannes repoſuit: ſi tu tuum ſtatuæ mutuares capillitium, quàm præclarè huic medereris malo? Hæc verba joco à Joanne noſtro prolata alter totidem ſenſit jacula, totidem Mariani amoris ſtimulos. E veſtigio domum revolat, coram Virginis imagine in genua procumbit, arreptáque forfice totam ſibi præſcindit comam, ac eleganti ſtrophiolo involutam ad Odeum defert, Æditui porrigit, ut in cæſariem concinnata veteri abjecta Marianæ ſtatuæ deinceps ſubſerviret in capitis ornamentum. Quod & factum, cùm hoc nobile amoris de vanitate ſpolium in publicis ſupplicationibus fuerit multis retrò annis Tridenti circumlatum. Non mihi hìc cætera Sodalitia per orbem ſparſa ſua oſtentent vexilla, manubias adoreas Cæſarum, Regum, Ducum, Congregationibus dono oblata, quæ olim devi-

cta.

ctarum gentium ſpolia, nunc totidem Mariani amoris trophæa, Virginis ſtatuis impoſita, in publicis ſuis ſupplicationibus magnificè circumtulêre: non inquam hæc mihi jactitent: ad judicem apello ſponſum, quid ſibi præplaceat? qui Tridentinam Sponſæ ſuæ ſtatuam contemplatus forſan pæana nobis ex Canticis accinet: *Vulnerasti cor meum in uno crine colli tui.*

Porrò ut ad hanc ſervitutem conſtantiùs ſerviendam ſeſe animaret, formulam votivam ſingulis diebus bis, manè & veſpere, & quidem extenſis brachiis inſtaurabat. Quid tu ad hæc Lector? qui fortaſſis illam ne quidem ſemel in anno, ne quidem ipſo ſolenni Renovationis die innovas; et tamen pro Sodali haberi vis & ſepeliri? Sed inaniter magnum nomen præfers, ſi illud factis non impleas. Spem magnam fundas in communione bonorum operum, Sodalium ſuffragiis, theſauro indulgentiarum: ſed utique nôris illam regulam juris: *datur beneficium propter officium*, hoc ſi deſit, gaudebis titulo, ſed ſine vitulo.

Unum mirabere: Nobilis hic Æditimus duas artes didicerat & non inconcinnè callebat, ſartoriam nimirum & pictoriam. Utramque voluit Mariano ſuo mancipatui ancillantem. Vidiſſes ipſum humili ſcabello inſidentem cum acu in manu diebus vacationum non raro in odeo Marianam reficere ſupellectilem, nil veritum aliorum etiam nobilium ſpectatorum præſentiam & cenſuram. Nollem, habuiſſet aliquos noſtri ævi è nobilitate cenſores, num artem hanc ritè callue-

rit,

rit. Displicuisset certissimè si non ars, saltem artificis situs, utpote tam humilis & abiectus, & nobilem minimè decens. Sed si vilia, infima abjectáque ministeria splendorem sortiuntur à magnis Principibus, quibus ea præstantur, ita, ut etiam nobiles manus invitent & pertrahant; cur vile quid censeatur, quod Magnæ Matri, cur abjectum, quod exhibetur Cœlorum Imperatrici? sed non omnes capiunt verbum hoc.

Scio equidem longè ab hac mundi opinione remotum fuisse Hispanum illum Belliducem, qui Manilæ in Philippinis, ut sibi Sodalitatis æditimum agere liceret, petiit, & impetravit, suúmque gladium, quo contra Dei Deiparæque hostes certârat, ad aram Virginis suspendit. Si tu ex opposito nobilis æditui nostri acum appenderes, nescio, quodnam ego anathema magìs mirarer? Forsan plures ex nobilitate invenies, qui malint pro Virginis gloria gladium stringere, quàm acum.

Verùm jam videre mihi videor Marianum hunc sartorem, seposita in odeo acu, in musæo suo arreptô penicillô pictorem agere. Sed amabò te, quid pingit? Illam quam semper gestabat in corde, ut in oculis quoque ferret, Matrem Mariam. Verùm ut adverto lentè procedit opus. Quid in mora? fors illud cum Xeuxe reponit. *Æternitati pingo?* Poterat id verius dicere, quàm Xeuxes; nam quæ æternitati pingit, non ars est, sed sola virtus: hæc sola opus perfectum habet & incorruptibile. Verùm non hæc tarditatis causa. Identidem decidentes ex oculis lacrymæ inter-

terpellant opus. Ita nimirum fieri amat, quando penicillum ducit amor artifex : suas moras nectit, suas reciprocat vices. Pingebat Mariophilus, pingebat & Maria : ille in tela Virginem, Hæc in corde adolescentis sui efformabat imaginem; ille utebatur coloribus, ista flammis. Quid mirum jam, si cor in lacrymarum imbrem exæstuarit? Scire fors desideras, an aliud exemplar ante oculos habuerit, ad cujus normam hanc suam effingeret Jconem? Puto ego, quod nullum. Non ignoro Apellem, cùm Helenam quàm venustissimè coloribus animare vellet, omnes Græciæ Virgines, quas formæ prærogativa supra cæteras eximias fecerat, contemplatum omnes elegantias, quas liberalior natura in tot vultus dispensârat, ingenioso artificio in artis collegisse compendium. Verùm Marianus hic Apelles ad repræsentandam illam Diviniorem Helenam, quæ pulchra ut Luna, electa ut Sol, ad quodnam exemplar respiceret? an ad universas Cœli Virgines? sed nonne hoc esset mutuare lucem à stellis, ut solem illustres? Quam hactenus pro dignitate exprimere nullus valuit calamus, nec poterit penicillus. Fors quæres, quô pretiô hæc pictura steterit? arbitror ego sat exiguò. Mercenarius non est amor. Sat pretii tulit, si dilecto placuit. Melius quæsivisses, quanti stent propudiosæ ille imagines longè alias Helenas exhibentes eo turpiori, quo elegantiori penicillo effictas, quibus veluti totidem Idolis tot ardentia corde & oculis emissa desideria impurus amor juge velut sacrificium immolat. Istæ Istæ Magni

stant

ſtant, ſtant animâ, ſtant Deô, ſtant Cœlô. Verùm Sinamus Marianum noſtrum pictorem ſuis indulgere coloribus, & amoribus, nos ad alia zeli ſui ſtudia enarrànda, quæ non caput, ſed librum requirunt, calamum transferamus.

CAPUT II.

REGULÆ SECUNDÆ, ET TERTIÆ SYNOPSIS.

Omnes Magiſtratui, & Præſidi pareant in iis, quæ ad Sodalitii officia ſpectant. 2. Sacramenta ſtatuto tempore frequentent.

COnſidera concinnum regularum ordinem: prima oſtendit ſcopum, altera præfigit media, quorum primum, & præſtantiſſimum eſt obedientia cæterarum virtutum & parens & cuſtos. Eſt Congregatio phalanx quædam illius honoribus militans, quæ eſt terribilis velut caſtrorum acies ordinata. Et quis neſcit in prælìis ad ſignum buccinæ, tympani, & Præfectorum nutus omnia peragi? nimirum ibi certior de hoſte victoria, ubi ad numeros omnes exactior obedientia. Aſt qualis quantúſque in hac virtute noſter extitit Sodalis? ùt in cæteris omnibus, ſic in hac quoque præcellens. Videtur ad apicem expreſſiſſe illud D. Bernardini monitum: *Paraoculos viſui, aures auditui, linguam voci, manus ope-*

operi, itineri pedes, totùmque te collige, ut imperantis colligas voluntatem. Prima ſuarum actionum in Mariano Odeo cynoſura Præſidis ac Magiſtratûs erat nutus; ita quidem, ut ne minima imperia neglexerit unquam, nec maxima detrectàrit. Suſcipiebat autem Præſidis vel Magiſtratûs edictum, velut emiſſam divinitùs vocem, nulla quæſitâ præcepti causâ vel motivô. Neſcit nimirum judicare, qui perfectè didicit obedire: ſi moneret Præſes, iuberet Mariana Lex, diceret, quid vellet fieri, non diſputabat, non ſe excuſabat, ſed ſimpliciter, & velociter parebat, paratus ad omnia: ſeu facilia, ſeu ardua, pari gaudio, & promptitudine excequebatur.

Hanc tam expeditam obedientiam æquali paſſu ſequebatur Reverentia erga Præſidem, & Magiſtratum, individua obedientiæ comes. Solebat coram illis aſsurgere, caput aperire, viâ decedere: adſtare, alloqui ſingulari tum animi tum corporis veneratione, exoſculari manus, aut veſtes, aliáque honoris ſigna pro more exhibere. Altiſſimè nimirum animo imbiberat, illum ſapientiæ aphoriſmum: omnis poteſtas à Deo eſt, quidquid præſtiteris majoribus tuis, infra debitum honorem erit, ſi Deum in illis conſideraveris.

Sed non minorem præſtabat obedientiam corporis medicis, quàm animi. Semel in gravem morbum prolapſus è Rhetoricę palæſtrâ egreſſus in amplum patientię circum deſcendere coactus eſt, non minùs iam in patientiæ, quàm priùs in ſcientiæ Gymnaſio Diſcipulus perquam ſtrenuus Inter alia enituit obedientia erga Medicum

à cuius voluntate nec latum unguem discedere est visus; abstinebat, se se continebat, sudore diffluebat, amarissimas sorbillabat potiunculas: nec imperia tantùm, sed nutus medici venerabatur. Est morbus aliàs lapis lydius obedientiæ. Videtur multorum obedientia naturam sequi, & imitari adeò, ut dum corpus ægrotat, etiam obedientia videatur infirmari: Certè plures invenies, qui malint medicum honorare sani, quàm ægri eidem obedire, & sæpè, quorum obedientiam suspicis, dum valent, cùm ægrotant, despicis. Porrò obedientiæ iunxit Sacramentorum frequentiam. Singulis ad minimum hebdomadis semel sua peccata sacra exomologesi expiabat, idem factitare solitus, quando in hebdomadam festus incidebat dies Solenniores tres Nativitatis Domini, & Pentecostes ferias trina itidem Confessione, & Communione ex Confessarii licentia solenniores fecerat. Dies illos, queis sibi à sacro epulo abstinendum erat, compellare erat solitus, *dies suos esuriales*, *dies ieiunii*.

Sed quæ tantæ Sacramentorum frequentiæ adhibita præparatio? Integrô triduô se ad. Ista comparabat, non ignarus, quidquid recipitur, per modum recipientis recipi, & quò magis conscientiam à nævis, & sordibus evacuaveris, eò plus capere de fontibus gratiarum. Altè cordi insculptum gerebat illud Divi Hieronymi monitum: *Nihil quietius, nihil purius, nihil denique pulchrius ea mente debet esse, quæ in Dei habitaculum præparanda est; quem non auro templa fulgentia, non gemmis altaria distincta delectant,*

sed

ſed anima ornata virtutibus.

Longo tempore conſueverat in aliquo templo ad pedes Chriſti in crucem acti provolutus, lacrymis etiam cadentibus, delictorum veniam poſtulare tanta interdum cum vehementia, ut ex concuſſione corporis totius ingentem perſentiſceret dolorem. Ita acta Congregationis. Illud magis mirandum, quod ſubiungunt: adeò in omnia vitia in ſe extirpanda incubuerat, ut fermè quoties confiteri vellet, nil haberet, quod diceret; ſed à Confeſſario inſtructus ſemper peccatum aliquod è præteritis confeſſionibus relegeret; et quidem illa, quæ majora ipſi videbantur, afferebat ut ita majore rubore ſuffunderetur. Rogabat etiam Confeſſarium, ut ſibi duplicem pœnitentiam iniungeret, nempe orationi adderet, diſciplinas, cilicia &c. Eouſque dolebat, cùm in defectum etiam non voluntarium incidiſſet, ut ſæpè lacrymas funderet, & neſcio quantùm ſibi temporis labi crederet, quoad uſque illum Sacramentali exomologeſi deleviſſet. Sacram Synaxin accedebat ea tum animi, tum corporis ſubmiſſione, ac reverentia, ut Angelico huic ferculo non hominem, ſed Angelum crederes adgeniculari. Hoc refectus, quò ab omnibus arbitris ageret remotior, in angulum quemdam Eccleſiæ ſe ſe recipiebat, horam integram flexis genibus & ſuſpiriis & lacrymis indulgens. Quæ cauſa fuit, ut rarò cum aliis condiſcipulis in Oratorio ſacræ accubuerit menſæ; quia licèt cœteros affectus habuerit in poteſtate, non tamen lacrymas, ubi cor amoris flammis incaluerat, vel invito ebul-

lientes. Vides hîc ad quem virtutis apicem evehat hoc amoris Sacramentum, hoc omnium gratiarum compendium. Et ſanè SS. Euchariſtia, cùm infinitum in ſe contineat Sanctitatis fontem, depravatam naturam facilè corrigit, intellectum ad ſupernaturalia elevat, voluntatem Sanctis deſideriis implet, frangit vires cupiditatis, *ſenſum minuens in minimis peccatis, & in gravioribus tollens conſenſum*: Hinc minimè mirandum, ſi tam admirabili animi puritate nituerit Ejus conſcientia, cùm toties mundiſſimo illo Sacramentorum lavacrô fuerit mundata expurgatá que. Vidiſſes ſanè in terſiſſimo hoc ſpeculo miram animæ quamvis peccati gravioris ſpeciem exhortescentis munditiem. Sed quid dico gravioris noxæ? Veniales etiam noxas angue peius & dracone ſubterfugiebat. Ita adhuc adoleſcens ſolidiſſima jam chriſtianæ perfectionis fundamenta jecerat, oſor, hoſtíſque omnis mali tam infenſus, ut morte peius horreret, quidquid vel umbram offenſionis divinæ præſeferret. Teſtes illi conſcientiæ arbitri, quibus mentis integritas ac innocentia longâ experientiâ perſpecta fuit. Interdum exclamare auditus eſt; *Domine gladio me potius transfige. millies potius moriar, quàm ut Deum vel leviſſimè offendam.* Teſtantur Congregationis annales, quòd ab eius ore non modò indecens verbum nullum, ſed vix aliquod, quod in ſevera etiam trutina pro otioſo haberi poſſet, excidiſſe auditum ſit. An non huic Adoleſcenti illud D. Jacobi accines? *ſi quis autem in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.*

Et

Et ex hac cordis puritate, ex hoc odio peccati, in ejus corde enatus est admirabilis sanè amor Dei. Ut enim lapis detentus loco altô, sublatis impedimentis, statim deorsum ad centrum fetur; sic anima, sublatis peccati impedimentis ad Deum centrum, ac finem suum defertur, eíque per charitatem conjungitur. Hinc rectè D. Augustinus: *ponderibus suis aguntur omnia, & loca sua petunt, levia sursum, gravia deorsum*, pondus nostrum amor noster: Si in nobis dominabitur amor peccati, motus & desideria nostra deorsum tendent; sed si hic amor extinctus est, dominabitur in nobis Creatoris amor & hic pondus nostrum erit, córque nostrum majore levitate ad Deum, quam lapis ad centrum feretur. *Fecisti nos Domine ad te, & inequietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Id quod luculenter patuit in Sodali nostro, in cujus pectore, quâm potenter exarserit hæc charitatis flamma, ex ejusdem verbis intelliges depromptis ex ipsius manuscriptis.

Studebam, inquit ille, *Deum toto corde amare: sæpe de die clamabam: vulnera cor meum telo tuæ nimiæ charitatis.*

Hortabar etiam omnes ad hunc amorem, & ut hunc quotidie à Deo peterent, in quo omnis nostra felicitas & in hac terra & in Cælis consistit, & omnes virtutes in charitate Dei latent; quia si Deum amabis, voluntatem illius facies, in qua sita est omnis nostra perfectio. Sæpius dum cogitabam, quàm pauci Deum ament, in uberrimum fletum prorupi. Sæpissimè stans ad focum rogabam

Deum, ut plus quàm focus ille arderem amore Dei. Semel dum Cœlum fulminaret, ad singula fulmina petivi vulnerari amore & telo charitatis Divinæ. His ita fui accensus, ut cor non os amplius loqueretur, quod adeò quatiebat, ut cùm veritate dicere potuissem, anima vulnerata est: quod incendium ad minimum credo media horæ durasse. Aliàs adeò inflammabar, ut non nisi ægrè admodum loqui potuerim advertentibus aliis. Accidit etiam, dum Christum cruci affixum brachiis cordi admoverem, corde saltitante præ amore crux parum repercuteretur. Ignorabam alia arma, quibus me defenderem contra insidias dæmonis, quam memoriam Christi amoris; quare propinquantem tentationem hac voce repellebam: Domine, fac te amem! fac te amem! & semper hoc modo palmam reportavi. Interdum in hæc verba prorumpebam non sine gemitibus: Jesu mi dulcissime! ego te amare desinam, quem nondum incepi? Scias mi Jesu, quod tua me charitas nunquam deseret: sive sim in inferno, mecum eandem trahan: sine illa vivere non possum, à qua tam benignè vitam habeo. Solitus etiam eram, antequam cubitum irem tribus genuflexionibus SS. Trinitatem venerari, & dum istud peragerem singulariter precabar, ut cor amore Dei accenderetur, & quidem tali affectu, ut quadam die sentirem mihi cor accendi, & adeò palpitare, ut disrumpendum videretur. Volebat mihi nonnemo versiculos quosdam dare de amore Dei, cui ego: non opus est illi aliunde actus amoris colligere, qui Dei amans est; nam ipse sibi

fa-

faciet, & scribet. Semel dum vellem de amore Dei scribere aliquid, priusquam inciperem, ita mecum cogitabam: quid scribam de illo, quem amo? quæ cogitatio effecit, ut pergere non possem. Postquam ergo me in angulum aliquem contulissem, ibidemque lacrymas absterssissem, tunc iterum componere cœpi. Sed apprehenso Crucifixo in lectum una cum ipso me prostravi, & ruptis binis oculorum fontibus ita Deum fui allocutus: O Deus, quis dicet, te à me non amari? Quamvis te ipsam veritatem sciam: si tu tamen hoc diceres, quàm ægre id crederem! Sæpè alios rogabam, ut pro me preces funderent pro impetrando mihi Cœlesti hoc amore; sæpè exclamabam ad Deum: O quàm serò te amavi, & hac cogitatione lacrymas provocabam. Nesciebam aliud meditari, quàm Dei charitatem; quare cæteræ meditationes in Dei amorem tandem incidebant. Nec avelli ab eo poteram; quas ob causas accidit, ut sapiùs mediam horam replicandis istis verbis, amo te Domine, insumpserim. Tantusque amoris ignis accendebatur, ut interdum omnibus Corporis sensibus distractis, net audirem, nec viderem, nec tangerem, nec aliud gustarem, sed Cœlestibus consolationibus raptus, immobilis longo tempore manerem. Interdum hoc igne succensus totus ardebam facie, suspiria emittebam, & vel ipsum corpus disrumpendum putabam, nisi ardorem mitigassem. Atque, ut hic Dei amor crescere, quàm plurimos actus amoris exercui, & interdum Crucifixi imaginem, flamma nempe Divini amoris in me vehementi concepta, manibus comprehensam cordi admovens

in hæc verba prorumpebam: amo, amo te Domine: nec plura proferre poteram. Ex hoc nata gratia vel donum lacrymarum tam abundans, ut intra octo vel decem dierum ſpatium, *centies ni fallor, lacrymas propter Chriſtum emiſerim ſæpiſſimè copioſiſſimas, ita, ut dubitarit R. Pater Spiritualis de oculorùm naufragio. Quare permiſit, vel juſſit à me legi librum aliquem, & cùm notaſſet oculos optimos, nil lectionem impedientes, ſaltem oculorum flumina detineri imperavit*. &c. Hæc ille.

Et ſanè in hoc Adoleſcente hic in Deum amor ita in ipſum ſæpè corpus ebulliit, ut is ſui neſcius, nihil niſi amores cæleſtes ingeminaret, & totum quaſi terrarum orbem in commune ſecum charitatis incendium raperet: id unum dolens, quòd non orcum etiam iis flammis involvere liceret. Ex hac fornace ignita adverſus Dœmones tela deprompſit, cujus ſi quando inſultus adverteret, his repentè verbis hoſtem exanimavit: *cor à me petis: at cor non habeo, Deus habet*. Miraberis hæc amice lector, ſed mirari deſines, ubi expenderis, quibus artibus amorem ſui extinxerit. Ex profani amoris funeribus, & cineribus Divinus exſurgit amor.

Hanc charitatem ſecutum eſt ardentiſſimum martyrii deſiderium, ſuíque ſanguinis pro Dei cauſa fundendi, vel certè in ejus gratiam omnium mortalium odia perferendi; ſibi ipſi omnes tam hujus Orbis, quàm Inferorum pœnas imprecabatur, modò id è voluntate Dei, ac ad Dei gloriam foret. Quando ſanguine è naribus manabat, quod ei perfrequenter evenerat, auditus eſt iden-

identidem illa verba ingeminare : *O quis mihi det, ut liceat & hunc, & omnes cordis mei guttulas amore Dei mei profundere!* Singulis diebus, ut hanc impetraret gratiam, Deum rogabat, & quò facilius exaudiretur, Patronos sibi quosdam delegerat. Erat etiam solitus identidem suos familiares rogare, ut suas apud Deum interponerent preces, sibíque gratiam martyrii exorarent. Adeò hoc desiderio excruciabatur, ut Martyrem dixisses : quia caruit martyriô. Sed non erat, cur adeò torqueretur ob lauream Martyrii; nam licèt cruentam illam consecutus non sit, non caruit tamen illâ, de qua Bernardus: *Martyrii quoddam genus est, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirùm, quo membra cæduntur, horrore quidem mitiùs, sed diuturnitate molestiùs.*

CAPUT III.

REGULÆ QUARTÆ SYNOPSIS.

Omnes, quantum fieri poterit, stabili utantur Confessario.

PErgunt Regulæ ad propositum sibi scopum præscribere media : Obedientiæ Magistratui, Sacramentorum frequentiæ addunt Confessarium stabilem. Res parvi hæc momenti tibi videbitur! vehementer erras. Electio Confessarii stabilis

bilis canalis eſt ampliſſimus, per quem juxta ordinarium Divinæ Providentiæ curſum copioſiſſimè in animam Chriſtianam gratiæ defluunt cæleſtes. Axioma ſat receptum eſt: Homo, qui eundem frequentat Confeſſarium, vel peccator nunquam fuit, vel ſi fuit, eſſe deſinet.

Quid autem hac in parte noſter Mariophilus? conſtanter ſtabili utebatur conſcientiæ moderatore, cui non erubeſcebat omnia mala ſua pandere; omnes conſcientiæ latebras detegere; omnes animæ nœvos ob oculos ponere, omnia pectoris penetralia reſerare: optabat illi ita notum eſſe ſe, ſicut ipſe erat ſibi, non inſcius tantò ſe juvandum certiùs, quantò intimiùs alter noviſſet. Longè ſecus, ac alii factitant, quos ab hoc candore retrahit malus pudor, vitium puerile, ac viro indignum. Qui vulnus tegit, nunquam ſanabitur.

Cúm conſcientiæ ſuæ arbitro libenter ſermonem habebat, omnes etiam animi propenſiones, omnes naturæ inclinationes, quidquid etiam boni faciebat, quidquid cælitùs ſibi immiſſum exiſtimabat, prudenti diſcuſſioni committebat. Sæpè illum deprecabatur, ut ſiquem ſibi notâſſet diſtortum inhærere affectum, indicare ne gravaretur; ídque frequenter faciebat: ne redarguendi verecundia impeditus vitia ſua diſſimularet.

Perinde autem ſe huic obſequentem præſtabat ac bonus miles ſuo Duci. Ab ejus pendebat imperiis, ad ejus præſcriptum mores exigebat: illo inſcio vel invito nil auſus aggredi, vel tentare. Semel ab infirmitate in lectum dejectus, juſſus ab

a ſi-

assiduo suo piè commentandi studio desistere, desistit : monitus, ut ob debilitatem virium plus cibi, alimentíque assumeret, obtemperavit: monitus, ut, ne quidquid nocumenti caperent oculi, lachrymis modum poneret, omnem, quàm potuit, sibi vim intulit : Jussus animi anxietates, scrupulos deponere : illicò missos faciebat, uti fusiùs referunt acta Congregationis. Quæ in adolescente eò magìs miranda sunt, quò Confessariis difficilius accidit ea etiam à viris vel impetrare, vel extorquere.

Sub Confessarii sui directione etiam deliberationem de vitæ statu suscepit, & hunc in finem, cùm annorum esset septendecim, petiit ab eodem ad S. P. Ignatii spiritualia exercitia admitti, visúsque in tenera licèt illa ætate ad talem tamen secessum iam aptissimus, petitam gratiam impetravit non minori animi sui solatio, quàm emolumento, ut ex ipsiusmet verbis constare potest quæ hìc lubet afferre : Scribit ìtaque :

Cum tanta lætitia ad hæc spiritualia Exercitia accessi, ut materfamilias dixerit : lætior hic est, quàm si ad nuptias mundanas properaret.

Statim ubi cubiculum Collegij fui ingressus, adeò omnem aliam cogitationem abieci, ut nunquam nisi in oratione etiam Consanguineorum meminerim.

Nunquam videbar mihi in Mundo exstitisse antea; sed tunc primùm in lucem prodiisse : adeò cum Deo semper degebam.

Gaudijs ita fui repletus, ut sæpissimè, cùm illa cor meum invaderent, signa manibus ac pedibus ederem, memor, quàm delectabilis res sit, Deo

vel

vel in dulcedine, vel in amaritudine ſervire.

Nunquam è cubiculo fui egreſſus, niſi neceſſitate compulſus, indeque ſtatim ad cubiculum properabam.

Dies ſemper dimidiatus mihi videbatur duntaxat; imò ſæpè cùm exiſtimarem adeſſe hanc vel illam diei horam; jam dudum plures aliæ tranſierant. Sæpè propterea de nimia temporis celeritate apud alium conquerebar.

Adeò libenter ſolus in cubiculo commorabar, ut rogarim, ne quiſquam præter neceſſarios me conveniret.

Nunquam comediſſem; adeò exiguum in cibo ſumendo guſtum ſentiebam; imò dicebam: me nec famem, nec ſitim, nec frigus, nec calorem pati.

Dum vitam S. Ignatii legerem, ſæpiſſimè teneriimè commovebar adeò, ut per temporis aliquod ſpatium legendo progredi non poſſem.

Nunquam vel unico temporis momento fui otioſus. Non prætergreſſus ſum Ordinem mihi præſcriptum vel in minimo quidem, & ne quid contra eum facerem, ſingulis horis perlegebam.

Veram diſtractionem toto hoc tempore non habui.

Sanctiſſimo Miſſæ Sacrificio magna cum devotione interfui, locum occupans quàm poteram, Altari vicinisſimum, ut intueri poſſem ſacratiſſimam Hoſtiam, à qua oculos nunquam dimovebam.

Quando demum deliciis his valedixi, non poſſum exprimere, quantum ex animi teneritudine fleverim.

Pergit deinde, ac lumina, tum ſucceſſum ſingularum meditationum adnotat, quæ hic brevi-

tatis

tatis causâ sicut, et alia plurima omittuntur.

Lubet hic mihi nonnihil subsistere, & his ex Exercitijs aliquem decerpere fructum. Scribit ille, se in hanc Sacram Eremum majori recessisse lætitia, ac alius ad nuptias, ad Convivium accederet nuptiale. Quid si, et ego te, Amice Lector, invitarem ad has animæ nuptias, ad hoc convivium spirituale? Fors mihi illud cum Evangelicis illis invitatis reponeres? Habe me excusatum: non possum venire. Et cur ita? *Uxorem duxi*: tempus non habeo. Res domestica, curæ Ecclesiarum me domo abesse non permittunt: sed amabo te! an non nôsti illud Christi: *Porrò unum est necessarium*. Cura præcipua animæ impendenda, ut quę excellentiâ prior est, non sit cultu posterior. Hinc illud Chrysologi monitum: *Dedimus Corpori annum, demus animæ dies: impendimus tempora nobis, deputemus tempus auctori: Vivamus Deo paululum, qui sæculo vixi-mus totum: seponamus domesticas curas. Serm.* 12.

Sed neque Mariophilus noster curabat alterum illud, quo aliqui ab Exercitiis retrahuntur, avocamentum, humanum respectum intelligo, & frigidum illud verbum *quid dicent homines*? generosè contemnebat, ducebátque pro nihilo falsas illas, & comentitias vulgi opiniones: solere Jesuitas hominem Exercitijs vacantem tetro quodam carcere includere, damnare ad tenebras squallore ipso insolitum horrorem spirantes, emaciare jejunijs, et vivam quamdam Inferni imaginem menti inducere; quo fiat, ut scrupulis, et angoribus animi excruciatus, eos domum referat

nulla

nulla in reliquam vitam lætitiæ parte fruiturus. Quæ sanè, quàm falsa sint, ridicula, et practico omnium judiciô, quot quot illa unquam delibârunt, reprobata, etiam noster Sodalis testis est, dum scripsit: *gaudiis ita fui repletus, ut sæpissimè, cùm illa cor meum invaderent, signa manibus ac pedibus ederem.*

Scribit iterum: *Dies semper dimidiatus mihi videbatur: sæpè de nimia temporis celeritate apud alium conquerebar.* Quàm magnum erga spiritualia affectum hæc verba indicant! eò magis miranda illis mundi affectis accident, quibus una forrassis dies inter eiusmodi spiritualia Exercitia exacta, videretur annus; cùm tamen, quando suis illis conventibus ordinarijs, et utriusque sexûs conventiculis toto anno vacant, ipsa dies nimis brevis apparcat, ut jungenda sit nox, et dies vertenda in tenebras. adeò verum est: videbantur illis pauci dies præ amoris magnitudine.

Scribit, *se ita omnem aliam in his Exercitijs cogitationem abjecisse, ut nunquam nisi in Oratione parentum meminerit.* Deus bone! Quàm carni, & sanguini mortuum hæc spiritum prædicant. Quid tibi ad hæc in mentem venit Amice Lector? Fortassis illa cura, illa solicitudo agnatos ditandi exaltandíque te impedit, ut non modo non devotè, sed omninò orare non possis. Fortassis iugis illa consanguineorum memoria etiam in sacris constituti efficit, ut obliviscaris tui, obliviscaris Dei, pauperum, & salutis æternæ.

Memorat: *veram se distractionem toto hoc tempore non habuisse* quàm mortificatum, mundóque

mor-

mortuum animum, quàm mentem immobili charitatis nexu in Deo fixam hæc verba indicant? Anima orationis mentalis est recollectio, quam non speret ille, ubi perpes non domitorum affectuum strepit intemperies. Tot gradibus cor ad Deum elevatur quot ab innatis recedit affectibus, ùt ignis remotis, quæ cursum morantur, impedimentis, illicò ad centrum abripitur; ita cor appetitibus depuratum, alis non eget aliis, ut celeriùs ad Deum perveniat.

CAPUT IV.

REGULÆ QUINTÆ SYNOPSIS

In Oratorio omnes de Sodalium officiis vel differant ipsi inter se, vel audiant differentem aliquem, aut legenti attendant.

§ I.

Quam avidè attenteque auscultaverit verbum Dei?

REte est verbum Dei salvivicum, & indissolubile animarum non mortalis artificis manu contextum; sed Spiritûs Sapientiâ connexum, atque compositum. Sed et hamo simile est: quia nisi capiatur, non capitur. Quo qui-

quidem hamo ita captus est Joannes noster, ut verbum Dei unica illius videretur esca, ad quam unicè sua anhelabant vota. Ad solitos Conventus Marianos etiam Campanæ signum prævertens advolabat primus, Adolescens hic Nobilis: utinam suo exemplo attraxisset, & viros, ut saltem ultimi adreperent, & non omninò integrô annô emanerent! Dum exhortatio haberetur, statuæ instar immobilis suo in angulo considebat perpetuò in terram defixis oculis adeò, ut cùm aliquando, nescio, ex cujus rei lapsu fragor ingens accidisset, cæteris omnibus respectantibus, assurgentibúsque, ille solus hæserit immobilis, quasi nihil inaudiisset. Adeò mens ejus in ea commentanda, quæ diccbantur, se se immerserat. Hanc ejus Divini verbi excipiendi aviditatem non exsatiaverunt privatæ exhortationes in Odeo Mariano: Evolabat ad alias conciones publicas, sacrósque sermones audiendos, ubi ubi demum haberentur. Si integras auscultare non patiebatur studiorum ratio, ad excipiendam earundem partem accurrebat. Certè tanto cum animi sui solatio Divini verbi excipiebat eloquia, ut nulla concio, quantumvis in longum protraheretur, ipsi nimis longa videretur, lamentari solitus: *O quàm citò horæ fluunt, dum res Divinæ aguntur, & in aliis rebus quàm longæ sunt!* Cæterùm quam doctrinam in Sodalitate hauserat, in domum suam transtulit; coegit contubernales suos, Vernas, & Domesticos in aula domus: ibi primum è pio libello lectitans, tum è suo ingenio copiosissimè disputans, de Christiani homi-

hominis officijs differunt, eo ardore, ac contentione, ut in lacrymas concionem solverit, & ad amaram peccatorum detestationem. O Joannes Baptista! quis dabit nobis plures ejusmodi exhortatores Domesticos, qui pietatis stimulos, in Sodalitate acceptos, in aliorum quoque salutem convertant? O nobilem te Conchamf quæ in alios effundit, quidquid è sacris vel libellis, vel alloquiis hausit.

Solenne illi fuit, siquos liberiùs insolescere videret, suaviter corrigere, ac in Iuvenum circulis conciones, piásque exhortationes, quas in Odeo exceperant, in memoriam revocare; in sermone fâmiliari easdem inculcare, cælestia loqui, & nil nisi Deum, Mariámque circumferre. Evocatus aliquando ab Illustrissima quadam Matrona, cùm per urbanitatis leges aliud non licuerit, ægrè quidem comparuit, cum qua tres integras horas piè differuit, adstante etiam aliarum nobilium fæminarum integro gyneceo, ea oculorum modestia, ut in nullius faciem eos declinâsse sit notatus. Tria, hìc mihi miranda se se offerunt: oculorum modestia, adolescentis eloquentia, & omnium maximè mulierum patientia in tam prolixo ad tres horas producto sacro colloquio. Fortassis patientiæ condimentum fuerit rei novitas: quod rarum, charum: hanc linguam, hoc idioma in ordinariis illis conventibus, quos hodie nobilior mundus utriusque sexûs interventu celebrat, fors nunquam audiverint. Miraculi locò habita fuerit illis insolita illa oculorum modestia; cùm aliàs prædictorum conventuum regula prima sit: Comparere ut videant, & videantur.

Quandóque urbe egreſſus in adiacentes montes excurrit, ut nanciſceretur, quos ſpiritualibus ſuis colloquiis, & exhortationibus ad Virtutis ſtudium accenderet, crederes imitari voluiſſe S. Joannem Baptiſtam, cujus nomen gerebat, de quo legitur, quod erat prædicans in deſerto. Accedebat etiam Vindemiatores, iiſdémque ſpiritualia monita ſuggerebat, quæ illi tam avidis, attentíſque excipiebant animis, ut manifeſta darent contriti cordis ſigna, & quandóque etiam ſuſpiria, & lacrymas. Rectè ille: ex modica ſcintilla fit ſæpè maximus ignis; ſic etiam ex brevi pio alloquio ingens fructus. Semel rogatus à rudium fæminarum integro grege in vinea quadam collecto, ùt & ſe ſpirituales aliquas edoceret praxes, altiorem conſcendit locum, & methodum ritè confitendi, cæteráque Sacramenta piè ac fructuosè ſuſcipiendi tam ſcitè propoſuit hic Adoleſcens, ut fæminæ intra ſeſe forſan illud cogitârint: *nunquam ſic locutus eſt homo*. Quàm bellè in hunc adoleſcentem cadit illud B. Ruperti encomium; dum in illa verba: *Candidiores nive nitidiores lacte*. Thren. 4. ita commentatur: *In nive ſola eſt candoris pulchritudo, in lacte cum nitore, eſt & ſaporis dulcedo. Parum ergo erat fuiſſe candidiores nive, niſi fuiſſent & nitidiores lacte: ideſt, parùm fuiſſet, propria ſibimet munditia candidos fuiſſe, niſi venientibus ad ſe, per ſermonem ſuum guſtum præbuiſſent dulcedinis æternæ.*

Et ſanè ex attentiſſima illa tot concionum & exhortationum auſcultatione eam ſibi rerum Di-

vi-

vinarum notitiam, eam de iisdem differendi copiam, facultatémque comparaverat, ut non tantùm consodalibus suis, sed etiam viris Religiosis fuerit admirationi. Cùm hæc eius peritia omnibus innotuisset, frequenter evenerat, ut essent, qui eundem accederent, peteréntque, ut spiritu alem institueret sermonem: Et ille nil cunctatus illorum votis annuens, differebat de proposito sibi argumento tam dextrè, tam eruditè, tam ferventer, ut auditores ab eo avelli posse vix viderentur. Eiusmodi spirituales allocutiones longo tempore in privatis cuiusdam Nobilis ædibus instituit, præsentibus subin etiam non ineruditis auditoribus, qui avidissimè auscultabant. Dicebat verò potissimùm de astutiis dæmonis, mundi & carnis, de morte, de B. Virgine, de modo confitendi, et communicandi, de SS. Passione, de animi demissione. Hæc tractabat eo spiritûs fervore, ut omnes commoveret; aliqui suspiria emitterent, alii actum contritionis elicerent, alii etiam lacrymas spargerent. Interdum numerabat viginti auditores, qui tanto cum silentio eum audiebant, ut ne minimum quidem strepitum audivisses, & etiamsi sedere potuissent, genibus tamen flexis Verbum Dei exciperent. Ille interim, prout respostulabat, ita intus accendebatur, ut etiam exterius spiritûs fervor appareret. Ita Congregationis acta. Pondus verò verbis addebat longè maximum vitæ integerrimæ exemplum & fervor.

Quidquid enim os loquebatur, ex intimis cordis radicibus emanabat; nec alios ad bonum cohortatus erat, nisi prius id, ad quod hortabatur,

in se expressisset. Uno verbô profana omnia contemnenda, et coelestia solummodo in amoribus habenda esse, ore & opere demonstrabat. *Beatus*, dicebat S. Ephrem, *cuius mens, tanquam nubes pluviis, Divina gratia plena est; animasque mortalium ad incrementum fructuum vitæ capiendum irrigat. Duo nimirum sunt in hoc mundo genera iustorum: unum videlicet benè viventium, sed nulla docentium: aliud verò rectè viventium, & eadem rectè docentium.* Sicut, & in cœli facie aliæ stellæ prodeunt, quæ arentem terram magnis imbribus perfundunt.

§ II.

Quomodo lectioni sacræ vacarit?

LEctionem Sacram haud satis dici potest, quàm sibi noster Joannes cordi habuerit. Quando in publicis conventibus sacer prælegebatur liber, avidissimis, attentissimísque Divina illa eloquia excipiebat auribus, etiam alios minùs attentos publicè monere solitus, & increpare. Domi foríque, si vacui quid temporis nactus erat, pervolutandis piis libellis id exigebat: prælegebat jam suis familiaribus, jam famulitio domi, jam foris in campo rusticanæ plebi. Et quò in uberiorem animarum fructum sacra hæc lectio exundaret, pecuniarum partem, quas parentes identidem submittebant, in coemendis piis libellis, cate-

catecheticis præsertim, expenderat, quos pauperibus distribuebat, longè secus ac alii qui ejusmodi pecunias non in coemendis libellis precatoriis, sed in lusoriis perdunt; quibus, quid aliud lucrantur, quàm jacturam temporis, quo nil pretiosius? Sed en! quid ipsemet de se in suis bonis operibus fateatur: *Adeò libenter spiritualia legi, ut cùm semel dormitum concedere vellem, paulo post subierit, me illa die nihil legisse; subitò damnato lecto ad lunam caput Thomæ Kempensis legi, postmodum iterum lectum relegi: sæpiùs etiam, dum lumen abesset, ad lunam libros spirituales lectitabam. Lectionem cibum meum nominavi; & tam attentè, ac cum pietate legebam, ut sæpissimè inter legendum fleverim, & præ lacrymis spirare haud potuerim; neque litteras videre, nisi post aliquantum temporis.*

Verùm nulla re magìs capi videbatur, quàm lectione S. Menstrui & sententiarum, quæ iconismo solent subjungi. Hæc illi ardentia injecerat desideria, ut, quorum mirabatur facinora, opere quoque imitaretur. Et sanè ex lectione eorundem vitæ eousque imitationis studiô exarserat, ut in animo suo decreverit, omnia illa præclara facinora, à Patrono suo Menstruo præstita, quantùm quidem liceret, & imitari, & in praxim deducere. Quare cùm fortuita sortione in Sanctum Menstruum nactus esset S. Alexium celebrem illum in patria exulem, qui sub scala paternarum ædium latitans Mundum risit, dum domi se agentem quæri in alieno orbe se audiret; cùm parentes se orbos, Sponsa viduam se la-

mentarentur, cùm tamen utrique præsentem quærerent, vivum lugerent. Hoc spectaculo captus, et iste statuit Tridento profugus in extera quadam regione sub scala quadam latitare ùt vile mendicabulum. Et sanè propositum hoc suum deduxisset in opus, ni Divina Providentia sufflaminâsset consilium, quæ voluit potiùs, ut hoc Congregationis Tridentinæ lumen supra candelabrum positum omnibus præluceret exemplô, quàm sub modio latitaret. Quo quidem suo Sanctorum vitam imitandi studio ostendit, se assecutum mentem, & scopum Congregationis, quem hac SS. Menstruorum sortitione intendit, qui non est alius, quàm Sanctorum imitatio.

Scio equidem, Neapoli septuagenarium Sodalem morientem mandâsse suis, ut schedulas menstruas filo collectas, collóque suspensas sepelirent Alterum OEniponti easdem in speciem monilis contextas jussisse collo circumdari, ut eo ornatu, atque patrocinio: *mortem contra audentior iret.* Laudo ego hæc omnia, & magnopere approbo: Mallem tamen cum Joanne nostro sanctorum Menstruorum Virtutes imitatione, & moribus expressisses in vita, quàm post mortem Eorundem imagines gestare collo affixas, aut tumbæ sepulchrali. Cognoverat hic fortè ex historia S. sui Patroni Menstrui, scilicet S. Francisci Seraphici, perlecta, magnum voluntariæ paupertati pretium esse ponendum. Hujus virtutis studia in Patrono Menstruo, seu speculo relucentia ut æmularetur, calceis detritis lateri appensis, veste lacerata indutus, atque in

mendicabuli formam compositus proximum urbi oppidum inter preces petit; eò ubi perventum, insuper habito occurrentium respectu pedententim per oppidum panem mendicat, tanto cælestium deliciarum affluxu, ut ad eum diem nihil sibi jucundius accidisse postmodum testaretur, maximè, ubi emendicati panis frustilla, veras paupertatis delicias, gustare, & pellendæ fami adhibere cæpit. Rc ad animæ solatium ita prosperè succedente, iterum deinde, iterúmque eodem habitu in vicos alios ad plures horas per aspera viarum excurrit, & cùm ipse mendicaret ab aliis panem, simul agresti pueritiæ, captatà idonea occasione, fidei Christianæ principia, sanctéque vivendi methodum tradidit. En! Quàm mirabiles fructus protulerit in Mariophilo nostro illud propositum SS. suorum Menstruorum vitas, & virtutes imitandi.

Quare meum consilium eò spectat, Amice Lector, ut & tu totus sis in pervolutandis Sanctorum Menstruorum actis, & vitis. Diligenter perlege sententias subscriptas: plus iis boni inesse senties, quàm prima fronte ostentant. Nam, ut nihil dicam, quòd menti cogitationem piam subjiciant; sæpè eam vim habuerunt, ut insignis vitæ, aut morum commutatio sequeretur. Notæ Virgilianæ sortes ad agendum Duces: nota Divorum facta, qui sacrorum verborum auditione, lectionive vitam aliam ingressi sunt. S. Antonius audiit: *Vade, vende, quæ habes, veni, sequere*, sibi dictum credidit, & ex eo quantus? S. Augustinus cùm æstu cogitationum miserrimè

iactaretur, audiſsétque : *Tolle lege, tolle lege*. Aperuit & legit, & ex una ſententia cor ejus expugnante in quantum Eccleſiæ lumen non evaſit? Hoc idem tibi dum ſanctum ſortiris Menſtruum à Deo crede acclamari: *tolle! lege?* nam à Deo offeruntur ſalutis tuæ ſtudioſiſſimo.

Introductus eſt etiam in Congregationes hic laudabiliſſimus mos, ut Sodales chartis ſua bona opera perſcripta credant, & in Sanctorum ſortitione in commune conferant, offerántque. Noſtrum Joannem quod attinet, in Congregationis Diario ad annum 1636. hæc verba annotata invenio. *Hodie* (erat 2. Februarii) *lecta ſunt bona opera præclara ſanè unius*: (Joannis ſcilicet,) *digna, quæ poſteritas admiretur, exemplo juxta Sodales raro, & neſcio, an ſæpiùs lecto*: alibi ſic habet: *hodie lecta ſunt bona opera unius, quæ in ſtuporem rapuerunt omnes*. Hæc lectio utique fuerit longè efficacior, quàm exhortatio, cùm verba moveant, exempla trahant: & longè alia intellexerint Sodales, quàm ex illa ſcheda, quam hìc loci aliquis maleferiatus Sodalis obtulit, in qua hæc verba legere erat: *toto hoc menſe nullum bonum opus feci*. Hoc folium, ubi Mariano conſilio exhibitum fuit, tam ſancto omnes juſtæ indignationis ſuccendit zelo, ut ſequente Dominica in publico Conventu Congregationis Præfectus velut in Sodalis funere pullo habitu veſtitus ex ara Virginis arreptâ candelâ probroſum ſchediaſma exuſſerit, cæteris Sodalibus interim in terram proſtratis, precantibúſque, ut Auguſtiſſima Patrona dignaretur hanc infructuoſam ar-

bo-

borem vel ad frugem reducere, vel si refractaria culturam non admitteret, securim ad radicem ponere, eámque exscindere. Reperiuntur nimirùm, prô dolor, etiam in horto hoc Mariano plantæ ejusmodi tam steriles; *arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sydera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum.*

CAPUT V.

REGULÆ SEXTÆ SYNOPSIS.

Sodales in Mariano Oratorio orationi vacent.

MArianum Sodalitium jure dixeris turrim Davidicam, turrim illam fortissimam, ex qua pendet omnis armatura fortium. Arma subministrat adversus animæ hostes longe validissima. Primum oratio. Est oratio Virginitatis propugnaculum, victoribus scutum, esurientium annona, dormientium custos, vigilantium fiducia, periclitantium salus, trophæum, atque vexillum belli spiritualis, tutela pacis.

Huic orationi tam illi, quæ ore, quàm quæ mente peragitur, ita Sodalis noster deditus erat, ut ea præcipuum vitæ suæ videretur negotium, ac studium, adeò quidem, ut cùm domestici illum

quæ

quærere vellent, templum adire neceſſe fuerit, ubi orationi vacans, etiamſi evocaretur, ab illa tamen ſe ſe dimoveri minimè patiebatur, donec eandem ad propoſitum ſibi finem perduxiſſet. Certè tantum temporis orationi tribuebat, ut ejus contubernales dicere fuerint ſoliti, *eum perpetuò angulis loqui*, meliùs Angelis dicturi. Porrò in meditatione rerum cæleſtium horas ipſas inſumebat, quas non clepſydræ fluxu, ſed Charitatis in Deum impetu, ac cæleſtis dulcedinis ſenſu metiebatur: imo ſolidos propè dies modò in myſteriis Redemptionis, modò in eloquiorum Divinorum cogitatione defixus hærebat; cùm interea tantis incederet lætitiis, ut nullum lacrymis modum ponere ullo modo poſſet, ùt acta Congregationis perhibent.

Subin medio in cubiculo in terram pronum ſe abjiciebat: ſubin expanſis meditabatur brachiis. Repertus à nonnullis eſt hyemante cœlo, dum pro animabus in piacularibus flammis detentis longa precatione lytrum perſolveret, penè frigore obſtupefactus. Occurrit hìc mihi ille Sodalis Ingolſtadianus, qui, cùm domi foríſque in templis ad aram Virginis orationes in multas dici horas protraheret, vir jam octogenario major, à conjuge quandóque aliiſque domeſticis rogatus eſt, ut ſibi, ac ſenio parceret, tanto ſub frigore fatiſcenti; ſed memorabile repoſuit apophthegma: *non friget, ajebat, quiſquis ferventer orat*. Idem dicere poterat noſter Mariophilus. Quàm inter frigora intus æſtuarent cordis præcordia, fat prodebant crebra & in orbem ducta ſuſpiria,

&

& præ fervoris magnitudine ebullientes lacrymæ.

Diu etiam in genibus tubere quodam, quod poſtmodum in plagam ſanguine identidem manantem eruperat, laborabat, & licèt ingentem inde perſentiſceret dolorem, orationes tamen ſuas genibus innixus perſolvebat, qui quidem dolor eouſque ſubin increverat, ut illum vires prorſus deficerent. Quòdſi quandoque parti læſæ tibialia adhærere contingeret, magno cum doloris ſenſu ea avellebat, neque induci poterat unquam, ut oraturus genibus quidquam ſupponeret.

Cogitationes, ſuas crebriùs ab humanis ad Divina attollebat, &, ut cautæ aves, oculô ſemper unô cœlum intuebatur, quod imprimis faciebat, cùm operationes ſuas Divino honori conſecrabat; cùm quaſi iacula quædam è pectore breves preces intorqueret, cùm è rerum creatarum occurſu veluti gradibus quibuſdam ad Deum aſcenderet: Dum corpus ſuô reficiebatur cibô, ſuus animæ non deerat: omnia, piis ſuſpiriis, ac deſideriis condiebat. Si creatura pulchrior in eius incurriſſet oculos, ſtatim mentem elevans obtutum figebat in pulchritudinem Creatoris. Hinc tantus in illo rerum humanarum contemptus. Sic eſt: clementa, quantò cælo ſunt viciniora, tantò ſunt puriora: ſic & Sodales Parthenii, quò altius orationis alis attolluntur, fiúntque cœlo propinquiores, hòc puritatis amantiores, et rerum cœleſtium deſideriô incenſiores frequenter cum Ignatio ſuſpirant: *Quàm ſordet terra, dumcœlum aſpicio.*

Ex hoc perenni precandi ſtudio originem

ſuam

ſuam traxiſſe videtur illud lacrymarum donum, quod in hoc adoleſcente ſemper ſuſpexerunt eiuſdem conſcientię Moderatores; cùm enim oculis in templo, & platea humi defixis, mentem ſemper ad cœlos ſublatam divinis commentationibus paſceret, factumeſt, ut cœleſtibus identidem delibutus deliciis magnam lacrymarum vim profundere ſit notatus. Hinc fortaſſis minùs etiam mirabimur, ſi tantas irrigationes tanta bonorum operum fœcunditas ſit ſubſecuta.

Faſſus eſt ipſemet nonnullis, niſi Deus cœleſtium gaudiorum affluxum temperaret, quem ex orationis hauriebat ſtudio, aliter fieri non poſſe, quin ruptis huius corporis vinculis animæ ſuæ foret hinc emigrandum; quæ quidem conſolationes etſi copioſiſſimè identidem affluerent, non tamen decurrebant perenni, & nunquam interrupto curſu ita, ut non quandóque hic conſolationum fons omnino ſiccaretur ſubſequentibus deſolationibus mentíſque tenebris, quæ eo uſque ſubin increvêre, ut iniiciente ſibi Dœmone deſperationis remedium, haberet, quod vehementer pugnaret: Emerſit tamen ſemper his ex fluctibus, anchorâ ſpei ſuæ in Divina Clementia fundatâ.

Verùm quam tandem mercedem tot incenſa Ioannis noſtri orandi ſtudia retuliſſe arbitramur? De Illuſtriſſimo ſuo non tam ſanguíne, quám virtute Sodali Alexandro Bertio, qui decimo quinto ætatis ſuæ anno vitam in perpetuo eiuſmodi comprecandi ſtudio exactam ſanctiſſimè abſolvit, Florentini Annales memorant, eum in lectulo ſuo mortuali iterum iterúmque ſpectabilem habuiſſe

Deipa-

Deiparam ad ſuperas ſedes clientem ſuum invitantem, ad cuius conſpectum, capto impetu, cùm fractum corpuſculum in cubitum elevans reſediſſet; ad Cœlum! ad Cœlum! exclamare auditus eſt. Pridie quàm è mortalitate ad æterna gaudia emigraret, frequentes ad eum Angeli cum corollis adire viſi ſunt, qui dicebant, ſe Alexandri obitum celebrare; atque ex ſuo numero uni à B. Virgine imperatum eſſe memorabant, ut Alexandro emigranti victoriæ inſigne corrollam imponeret, ad quod ille imperium exequendum hilari opere accingere ſe viſus eſt; nec dubium eſt præſtitiſſe. En! in Alexandro hoc Mariophili noſtri adumbratam ſortem. Eſt oratio ſcala Cœli, per quam Angeli aſcendentes Ejus ad Auguſtiſſimæ Patronæ ſolium vota precéſque deferebant, & dum iſte illi globulis ſuis precatoriis conſtanter pergeret texere corollas & devotionis ſerta, illa interim viciſſim ejus meritis præparabat immarceſcibilem gloriæ coronam, ut ex ſequentibus patebit.

CAPUT

CAPUT VI.

REGULÆ SEPTIMÆ SYNOPSIS.

Sodales ſacrificio incruento quotidie aſſiſtant; diebuſque conſtitutis Euchariſtiam ſimul accipiant.

§. I.

Quàm devotus fuerit erga Sacrificium Miſſæ, & SS. Euchariſtiam?

SAcrificium Miſſæ Religionis Chriſtianæ centrum eſt, devotionis cor, pietatis anima, omnium Divinorum Myſteriorum Epilogus, quódque Divinæ Charitatis abyſſum in ſe comprehendit. Hinc non immeritò mandat Regula, ut nullam elabi diem ſinas, qua non huic Sacrificio aſſiſtas. Incitamento tibi ſit Sodalis noſter qui non uno contentus etiam diebus ferialibus plerumque trinis intererat, longè pluribus, quando feſti inciderant dies.

Sub ferias Autumnales, quando à ſcholis vacabatur, vacabat ille audiendis ſacris, quotquot poterat, exemplô futurus ſtudioſis illis, qui licèt aliàs quotidie ſacro interſint, dum ſtudiis navant operam; quando verò ab iis animos

relax-

relaxant, ab his etiam officij sui partibus cessant cùm tamen nunquam plus temporis suppetat, quàm tunc. Quando vacatur à studiis, non hoc ipso vacat officium hominis Christiani, multò minùs Sodalis.

Singulis diebus sub sacro Spiritualem instituebat Communionem, dúmque intensos amoris actus exerceret, pariter maximis Cœlestibus affluebat deliciis. *Cogitabam*, ut ipse scribit, *me accipere Jesum ex brachiis B. Virginis, & animam meam ad pedes Christi flere. Inter alia tunc hæc tria enixissimis expetebam votis: ut Deum possem ex toto corde amare: illius tantummodo voluntatem facere: multa in hoc mundo propter ipsum acerba perferre.*

Quotiescunque se se occasio offerebat Sacerdoti ad aram facienti inserviendi, eam ambabus arripiebat manibus. Missam verò tam libenter audiebat, ut propterea etiam prandium missum faceret, & reprehensiones ea de causa sibi factas libenter perferret. Fuit sæpè causa, ut etiam alij Sacrum accederent: eos verò, qui præsertim die festo illud negligerent, acerbè reprehendebat, nec placidô unquam oculô poterat intueri.

Ab hac tam frequenti, & dovota sacri auditione, quam perenni Orationis, meditationísque animabat spiritu, geminus in ejus animum emanavit fructus, nimirum tenerrima erga SS. Eucharistiam, quæ in Missa conficitur, devotio, & dolentissima erga Christi Passionem, cujus hoc Sacrificium viva quædam imago est, com-

compassio, & affectus. Primum quod attinet, libeat id percipere ex ipsius manuscriptis, conscientiæ suæ arbitro oblatis, ubi sic ait:

Amore erga Sacratissimum Sacramentum ardebam singulari. Triduo integro solitus eram ad Sacrosanctam Eucharistiam recipiendam me præparare, & hoc tempore ad singulos horarum pulsus magno cum amore spiritualiter communicare. Sæpe etiam, ac si SS. Hostiam præsentem viderem, mihi imaginabar, & maximo cum fervore salutabam. Ad illius jugem memoriam in me fovendam hostiam non consecratam procuraram, ad quam in loco patenti collocatam identidem respiciebam. Sæpissimè cùm hymnum Pange lingua recitarem, statim tam dulci amore erga Sacratissimam Hostiam fui accensus, ut cor mihi prægaudio subsilire videretur, & vix pergere possem.

Nocte Communionem præcedente adeò gaudiis perfundebar, ut præ desiderio illius sacrosancti cibi sumendi uberrimè flerem, & quò magis tempus Sacræ Communionis appropinquabat, eò magis desiderio ejusdem accendebar. Aliis ad hoc sacrum Convivium accedentibus, me non accedente, sanctè invidebam. Mirè lætabar aspectu accedentium; quare cor præ gaudio saltitabat. Adeò amabam hoc SS. Sacramentum, ut ipsa Sacerdotum vestigia deosculærer, & iis deosculandis satiari non possem. Nunquam adeò vehementem erga hunc SS. cibum flammam sentiebam, quàm quando supra Altare locum, in quo consecrabatur aspiciebam; ibi lacrymæ semper manabant; ibi inter suspiria, quæ vocem intercludebant, lan-

gue-

gueſcebam ſicut cera ad ignem, ubi deoſculando locum Conſecrationis adeò inflammabar amore illius Cibi, ut interdum os amovere ab altari non potuerim, niſi prius mitigato incendio, & cùm tangerem altare præ amore anima liquefacta, caput in altari ſomno ſuaviſſimo, ſacræ Euchariſtiæ deſiderio oppreſſum, quieſceret placidiſſimè, & ad me cùm redirem, lacrymis altare irrigarem, præſertim locum ſacrum.

Cùm domo egreſſus ad Eccleſiam properarem, tanto ſubin ſpiritus fervore in via corripiebar, ut erumpentibus copiosè lacrymis neceſſe fuerit in obvium plateæ angulum quemdam me recipere, ut procul ab omnium conſpectu iiſdem liberiùs frænum laxarem. Sæpiùs concitatis greſſibus properabam ad SS. Sacramentum, quò poſtquam perveneram, commodo aliquo in loco, ubi tamen meum vultum nemo intueri poſſet, me componebam; conſpectoque pane Cæleſti lacrymis habenas dabam. Et dum Sacramentum à Sacerdote deponeretur, adeò cor ſolatiis exæſtuabat, ut vix non perſentiſcerem amoris deliquium.

Illud die Jovis, quo inſtitutum eſt, colebam veneratione ſingulari. Quare ea die, ubi quid loquendum, de hac Cæleſti dape ſermonem inferebam. Diebus feſtivis ùt plurimum ſacram hanc Menſam accedebam, & rarò ſine lacrymis. Studebam propterea ſeparato aliquo in loco, vel aliis non præſentibus id peragere; quia lacrymis temperare non poteram: ſemel tamen extra urbis mœnia in ſacello quodam hominibus conferto S. Hoſtiam ſumpſi, ubi ſpectantibus cæteris in lacrymas erupi.

Sumpta S. Eucharistia solitus eram me in angulum recipere, ubi commodiùs possem cum Deo negotia mea transigere. Quòd si cogerer in loco publico subsistere, abstinebam ab ejusdmodi amoris exterioribus signis quantum poteram. Ea de causa longo tempore nunquam in aula discipulorum una cum cæteris SS. hoc epulo me reficiebam, semel cum aliis orans ante expositum SS. Sacramentum, non potui me continere, quin tota illa hora lacrymis indulgerem, & ne id ab aliis notaretur, pallio, vel pileo tegebam faciem, oculosque.

Interdum, dum verba Cansecrationis proferebantur, adeò amore erga Divinum epulum accendebar, ut inter singultus, & fletum verba non nisi dimidiata proferre possem. Quàm primùm ad aliquem locum perveniebam, prima mea cura erat invisere SS. Sacramentum. Semel ad aliquem locum me conferens, ubi illud invisissem, adeò Cælestibus gaudiis fui perfusus, ut suavissimas lacrymas funderem, nec inde possem avelli. Quare tandem domum reversus, paulò post iterum ad Ecclesiam me contuli, ut prioribus desideriis indulgerem. Post S. Eucharistiam sumptam præ amore hæc tantùm verba repetebam: quantus amor! & dum ista dicebam, semper crescebat flamma, et internum gaudium. Hæc ille, sed et plura referemus in sequentibus.

At tu Mariane Lector mirari jam desines, tot in hunc Adolescentem confluxisse Virtutum, gratiarum, charismatum decora, cùm toties tam piè, tam sanctè tam ardenter os admoverit ipsi fonti gratiarum. Est enim Eucha-

chariſtia ùt Sacramentorum excellentiſſimum, ſic etiam id, quod maximas in anima noſtra gratias, et effectus operatur. In alijs enim participes eius gratiæ, quæ illic communicatur, efficimur, ſed in Hoc ipſius gratiæ fontis participes reddimur. In aliis quaſi ex rivis bibimus, qui ex fonte emanant, hìc verò ex ipſo fonte bibimus, & tantò plus bibimus, quantò cum ardentiori acceſſerimus ſiti. Qualis enim præparatio, & diſpoſitio fuerit, talis & gratia, quam recipiemus, erit. Ut ille, qui ad fontem aquam hauſturus vadit, tantum haurit, quantum vas, quod attulit, capere poteſt. Hinc cùm ardentiſſima in corde Sodalis noſtri exarſerit ſitis, præparatio exſtiterit ſumma, non poterant non plenis rivis in ejus animam gratiarum fluenta derivari.

Hinc ego non jam miror, ſumma eum Caſtitatis laude floruiſſe, cùm toties guſtârit illud vinum germinans Virgines. Rectè S. Auguſtinus: *Mira inter Euchariſtiam & Caſtitatem concordia. Caro Chriſti caro eſt Mariæ, ex Matre Virgine corpus & ſanguinem aſſumpſit. Et quia ex Matre Virgine hæc nobis contulit; ad Virginitatem, & Caſtitatem nos allicit: qui amat hanc Carnem, non eſt amicus ſuæ carnis.*

Hinc ego non jam miror, ejus intellectum tot cæleſtium veritatum radiis illuſtratum fuiſſe. Unde hoc? non aliunde, quàm ex Euchariſtia, quam S. Bernardus appellabat *Panem Sapientiæ*. Cum S. Chryſoſtomo dicere poterat: *Quid mihi opus eſt Sole & Luna & iſtis miraculis? Ipſo Domino cunctorum apud me habitante, & permanen-*

te, quid mihi opus est cæteris? Ipse mihi erit sol, ipse lumen.

Sed quid ipsi viam detexit ad hos fontes gratiarum? Viva fides, quam de hoc fidei arcano ex perpetuo suo meditandi studio conceperat. Ex hac emanavit illa angelica reverentia, ille fervor, ille amor; nam & hìc verum est illud: Oculi sunt in amore duces. Ad rem nostram appositè quærit S. Bonaventura super illa verba: *duabus alis velabat unusquisque faciem suam*. Is. 62. Cur facies suas velant? cùm potiùs debeant discooperire, ut vultum Dei cernant; & respondet: *Seraphim sunt figura fidelium. Fides facit animam Seraphicam. Ut anima fidelis Deum in throno altaris valeat contemplari, debet faciem, oculos, nempe naturales velare, & extendere solùm alas fidei.* Quod ingeniosè more suo expressit Guilielmus Hesius, dum oculum humanum depinxit, qui vultu velato per tenuem velaminis rimulam Solem intuitur cum lemmate: *has tutò, totusque videtur*. Apparet iis, qui fidem habent in illum. Sap. 1.

Videre quisquis illud aureum sydus,
Jubar illud Orbis, numen illud astrorum
Mortalis optas: ora cautus obnube:
Oculi fideli fac tegantur à velo:
Pupilla fidum spectet in punctum:
Minimo videri summus ambit, & gaudet:
Ille Deus puncto totus mihi sistitur uno:
Exiguo immensus sistitur orbiculo.

§. II.

Quomodo meditatus sit Passionem Christi ex Eucharistia relucentem?

ÆNigma videtur loqui Psalmista, dum ait: *nox illuminatio mea*. Ps. 138. quod tamen solvit Angelicus, dum scribit: Eucharistia fuit instituta in nocte; per virtutem enim hujus Sacramenti anima illuminatur, ut cognoscat mysteria Passionis in illa repræsentata. Quod & in Sodali nostro apparuit, cujus ad recipiendam Eucharistiam præparatio erat meditatio Dominicæ Passionis. Fructuosus sanè communicandi modus quieta contemplatio Passionis Christi! hanc qua ratione instituerit, lubeat iterum percipere ex ejusdem verbis. *Singulis diebus Veneris luctu singulari Passionem Domini fui meditatus, ita, ut quocunque irem, Christum Dominum vel Crucifixum, vel ad Pilatum ductum, vel spinis coronatum, vel flagellatum cogitarem. Illo die non tantum cibi, quantum aliis sumpseram; à vino etiam abstinebam, in honorem Dominicæ Passionis. Iisdem diebus methodo, quæ sequitur, Christi cruciatus evolvebam, & hoc quidem in cubiculo, absentibus omnibus. Primò, accepto pallio mihi imaginabar, invisere me S. Josephum, ut nempe unà cum illo B. Virginem ad ejusdem dolores leniendos visitarem. Cubiculum ergo ingressus consolabar do-*

lem Matrem, profluentibus ubertim lacrymis, cum Sanctissima Matre pergebam ad Christum cruci affixum, ut illum inde deponerem; accedebam, inquam, ad aliquam Christi crucifixi imaginem; priùs tamen, ut Christi discipulos imitarer, alba veste indutus, locum imaginis nudis pedibus accedebam. Imaginabar ergo me de Cruce pendentem Dominum refigere, quo ità deposito, tergebam illa sanctissima Vulnera, deferebamque Christum panno involutum, ad sepulcrum, manantibus lacrymis; eoque sepulto iterum B. Virginem consolabar. Postea aliquibus genuflexionibus cruce salutata, terræque osculis fixis, è cubili egressus, alios etiam stipites, brachiis comprehensos, deosculari, ibidemque actus doloris exercere solitus eram, inter hujusmodi exercitia etiam horis integris dilabentibus. Præsertim verò Christus spinis coronatus dolorem indicibilem mihi pariebat, & colaphus Christo crudelissimè infictus; quare sæpius ad illius veram compassionem habendam mihi ipsi totis viribus colaphum impegi, quod interdum dolorem capitis excitabat. In quinque vulneribus eram sepultus, quæ deosculari satis non poteram. Sæpius orabam Deum, ut etiam in corpore dolores Passionis sentirem Interdum, dum Christi dolores legerem, adeò illis accensus sum, ut aliquantulum desistere à lectione debuerim, guttis continuò cadentibus, libello irrigato. Interdùm oculi impediti aquis, scripturam amplius non internoscebant. Interdum caput meum fune stringebam, ex quo non nisi magnum dolorem hauriebam. Nonnunquam manibus & pedibus ligatus & catenula circumdatus Christi vincula deflebam.

Sen-

Sentiebam in corde dolores ingentes, videns, Christum tam acerba pati. Interdum huic meditationi dies integros impendebam, neque antè à gemitibus cessare poteram, quàm mihi vim ingentem intulissem. Si ambulabam, ad passus singulos ingemiscebam; si stabam, vultus accendebatur flamma charitatis Divinæ; si sedebam, totus langueſcebam denique non cessabat fletus, donec deponerem memoriam Passionis, quam ægrè admodum expellere poteram. Visis subin Christi patientis imaginibus, spargebam suavissimas lacrymas: sæpius tanto cum fervore actus amoris in cubiculo exercebam, ut non rarò cum Christi Crucifixi imagine, cordi meo impressa, in terram prostratus iacerem; sæpius etiam domum reversus ambobus brachiis obvium aliquod lignum complexus, cogitans, me cum S. Magdalena Crucem Domini amplecti, in fletum effundebar.

Semel adeò flevi in meditatione Christi, ut posteà nunquam cessare potuerim: adfuit tandem prandii tempus, & mensæ assidere non valebam; tanta vi semel, bis, ter, et quoties accedebam ad mensam, semper in fletum amarissimum prorumpebam: denique cum planctu mensæ accubui, et bolum non comedi, quem prius lacrymis non aspergerem: cadebant etiam in mensam lacrymæ, ità, ut sicut inceperam, ità etiam cum gemitibus prandium elauserim. Ad amorem erga Christum patientem demonstrandum supplicia quævis, aduersaque, ut mihi obvenirent, exoptavi: neve sub coronato spinis capite, membrum essem delicatum, verticem sæpenumum sentibus incinxi. Nullare adeò commovebar,

quàm discessu Domini à sua doloroſissima Matre, in nocte Passionis ea de causa sæpissimè repetebam hæc verba: o Maria! o Mater ubi est Filius tuus? Huic cogitationi immersus horas penè integras flendo consumpsi. Hæc ille: nec ego miror, hanc ultimam circa Matrem dolorosam considerationem tantos excitâsse in animo eius motus. Contemplabatur nimirum Solem illum Iustitiæ, intra umbras mortis eclypsin passum, in corde Matris, velut in camera obscura, & in charta Virginea repræsentatum, videbat singula vulnera per corpus Filij dispergenda, in Matris corde, velut in puncto, unita: svaviſſimum illud cor amoris conversum in cor doloris. nam vulnera Christi iamiam morientis, erant vulnera Matris dolentis; quot vulnera Filius accipiebat in carne; tot pia Mater accipiebat in corde: Ille carne, Ista corde passa est. Hinc quantò incomparabiliter hæc Filium amavit, tantò vehementiùs doluit: & quantò ardentius diligebat, tantò est vulnerata profundiùs. Unde, sicut non fuit amor, sicut amor Virginis; ita non fuit dolor similis dolori Eius. Hinc tanta compassio, hinc tantus commiserationis affectus in Mariophilo nostro, ut sæpius in suis manuscriptis hæc verba repetat: *nulla re adeò commovebar, quàm doloroſissima valedictione Christi à sua Matre in nocte Passionis.*

Ex hac memoria procul dubio profluxerit admirabilis illa in hoc adolescente in adversis patientia, de qua alibi plura: hìc pauca libet delibare: præclarè enim meditaris patientem, si non tam compati discas, quàm pati. Semel labora-

re

re occeperat acerbissimo dentium dolore, quem, cùm ille diu dissimulâsset, tandem domestici advertêre. Quare, cùm remedia adhibere ad mitigandum, vel tollendum pararent, ille reiecit, ut haberet, quod pateretur. Sæpè, cùm maximè cruciaretur, exclamabat: *Domine! da patientiam, et auge dolorem: quàm nihil hoc est: si tuos dolores perpendamus: deliciæ sunt.* Hoc dolore tandem liberatus, vehementer indoluit, dictitans, se magnam Dei gratiam amisisse: itaque denuò enixis precibus Deum rogare institit, ut antiquos dolores permitteret innovari; licèt cum hac mali acerbitate medium fermè annum esset luctatus, et tres ferè menses malum dissimulâsset. Quid tu de hac patientia sentias, nescio: illi procul dubio magnopere mirabuntur, qui cum hoc malo non per sex menses, sed aliquot dies conflictati, vix non de mentis potestate exeunt; quique, precibus flectere si nequeant superos, Acheronta movebunt. Cùm post temporis intervallum iterum prioribus doloribus tentari cœpisset, gratias Deo agens ad domesticos lætabundus accurrit, dicens: *inveni meam gemmam, inveni meam gemmam!*

Semel inter deambulandum in claviculum impegerat, qui calceo perforato, & ad carnem, ipsúmque os penetrans ingentem ei procreârat dolorem, ut claudicans incedere cogeretur. Quid hîc ille? An more aliorum linguam evocavit in fulmina, execrationes, blasphemias? Absit. Claviculum pede extractum deosculando satiari non potuit, indignum se reputans, qui pro Deo aliquid

quid patereretur. Quàm procul ab hoc exemplo distant ii, qui, ut observat Seneca, hominum rerúmque impatientes levissimis causis moti irascuntur, & furoris impetu abrepti à rebus sensu carentibus, & brutis animalibus pœnas exigunt, quibus par esset suam potius insaniam castigare.

Etiam convitiis, contumeliisque lacessitus neque animo molestiam capiebat, neque vultu tristitiam, aut verbô indignationem aliquam præferebat, sed lætitiâ incedere videbatur. Evenerat frequenter, ut alii illum asinum, alii stultum nominarent; alii cùm iam bibere destinâsset, vini poculum è manibus excuterent; ita alii librum, alii calamum: omnia tamen sine ullo iracundiæ indicio sufferebat. Nonnemo perfrictæ frontis juvenis (oderant enim eum mali) in nobilissima virorum corona sonantem ei inflixerat colaphum. Cujus hìc cesset iracundia? cui non ebulliat bilis? Non in clamores inconditos aspereretur vox? Non lingua in convitia procurat? non in alapas, colaphósque reciprocos utraque manus provolet? Immotus tamen híc Joanni nostro animus perstitit. Verberi nec verbum reposuit; quin quod mirêre, gratias egit percussori, dixítque adstantibus, se summè lætari, quando propter Deum innocens aliquid pati valeret. Alias quoque injurias sine ullo iracundiæ motu libenter propter Deum tulit. Quin alios quoque colaphos à contubernalibus suis sibi inflictos pacatô animô sustinuit, etiamsi illos in multorum præsentia innocens patereretur, gratias agens percussori, & quamvis natura ab initio, ut ipse scribit,

bit, vehementer reluctaretur, victor tamen omnia sufferebat.

Quando iterum contubernales, quibus perspecta erat ejus patientia, ex eo quærerent, quid ageret, si hostilem induti animum, eum pessimè haberent; probris, ac calumnijs proscinderent? instar canis pedibus conculcarent? suspiciendô in cœlum, hoc unum reponebat: utinam dignus essem talia pro Christo pati! Cùm illi nuntiata esset mors parentis suæ, ne quidem minimô editô doloris signô, nil aliud reposuit, quàm illud Jobi: Dominus dedit, Dominus abstulit: sit Nomen Domini benedictum. Nec miror, non fuisse turbatum nuntiô mortis Matris; Virginem Matris semper locò habuit, & præ altera Matre, quam lubens dimisit, ut cum illa citiùs, cum utraque æternùm esset. Sic pariter in omnibus prosperis æquè, ac adversis gratias Deo agebat, et quomodocunque res caderent, semper dicere solitus: *laus Deo semper; sit nomen Domini benedictum*.

In Canticis legimus: *Sicut malus inter ligna Silvarum, sic dilectus meus inter filios*. Cant. 2. Per malum, inter ligna Silvarum eminentem, interpretes Crucis intelligunt arborem, in qua pependit dilectus ille, Christus Dominus, humanæ salutis assertor; ad cujus arboris pedem Sponsa quietem captans exclamat: *sub umbra illius quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo*. Quid umbra hæc, quid fructus, quid dulcedo gutturis, nisi affectus, ex meditatione Christi patientis in anima pia excitati, & ad

com

compatiendum, ad imitandum, ad redamandum inflammati? hæc umbra, hæc quies, hæc ſvavitas à Joanne quoque noſtro perſentiſcebatur, quando dilecti, ſub ſpeciebus Panis Euchariſtici, velut ſub umbra latentis, et in hac umbra electis ſuis conſolationes ſuperfundentis, iísque mirabilem dulcedinem non rarò in corpus ex anima redundantem, impertientis præſentiam experiebatur. Hoc eſt illud manna, de quo Auguſtinus: *amareſcant mihi omnia, ut Tu ſolus dulcis appareas animæ meæ.* O umbra delectabilis, ô dulcis quies, ô ſvavis ſeſſio ſub hac arbore, ô nectar, ô ambroſia Amoris Promi condi, ſive in vulneribus dilecti in crucem ſuffixi, vinariam cellam aperientis; ſive menſam ex Euchariſtiæ penu inſtruentis.

CAPUT VII.

REGULÆ OCTAVÆ SYNOPSIS.

Sodales ſtatas preces matutino tempore: Alias veſperi dicant, dieique exactæ rationes à ſeipſis repoſcant: denique omni virtutum exercitio ſeſe perficiant.

§ I.

Quem ordinem diurnum ſibi præſcripſerit?

ORdinem diurnum, quem ſibi Sodalis noſter præſcripſerat, ſi ritè inſpexeris, horologium quoddam Marianum te intueri arbitraberis, in quo obſervare erit non interruptum motum ab una virtute in aliam ad omnem Marianarum legum indicem exactiſſimum. Si quæras, quibus ponderibus fuerit inſtructum? reponet ille cum S. Auguſtino: *Amor meus pondus meum; illuc feror, quocunque feror.* Exterior ille bonorum operum ordo index erat haud fallax, quàm rectè intus irent omnia. Placet hìc horologium hoc tuis ſpectandum ſubijcere oculis.

Surgebat à ſommo conſtanter horâ quartâ. *Magnum*, inquit S. Athanaſius, *certaminis decus eſt*

è lecto ipso Deo ſiſtere ſeipſum, et prævenire in gratiarum actione ſolem. In qua quidem victoria nobilis hic adoleſcens eò maiorem meretur laudem, quò rariores ex hac ætate, ex hoc ordine, ſui reperit imitatores. In utramque dormitur aurem, dum ſol iam vergit in meridiem. Sed ſuas quiſque excuſationes prætendit; ſcio, non tot in Iride colores variant, quot cauſas longioris ſomni neceſſitatis colore ſenſus comminiſcitur. Nunc ætatem iuvenilem, et corporis incremento adhuc idoneam prætexit: nunc nocturnarum horarum brevitatem conqueritur: nunc, niſi ad ſatietatem dormiat, ſecuturam capitis gravedinem, ſcientiæ ſectandæ inimicam, minatur. Interea contrahitur turpiſſima ſomni proferendi conſuetudo, et quò diutiùs de ſurgendo diſputant hinc ſomnus, inde Vigilantia, hòc ſurgitur ſeriùs, erratur multipliciùs, cùm ingenti tum ſcientiarum, tum virtutum præiudicio; cùm aurora non Muſis tantùm, ſed et ſapientiæ ſit amica, et ùt aurora huic mundo ſolem, ſic animis noſtris lucem ſapientiæ invehat vigilantia.

Quæres hìc, quo excitatore Joannes ſit uſus? Non alio, ſcribit ille, quàm Angelo ſuo Cuſtode: huic negotium hoc commiſerat, certas hunc in finem ante cubitum fundendo preces: et fatetur, ſe conſtanter expertum, quacunque noctis hora, etiam duodecima, prima, vel ſecunda abrumpi ſomnum præoptârat, ad primum horologii pulſum ſe oculos aperuiſſe. Et quidni ſub diei exordium, in hoc Angelus Tutelaris gratificaretur clienti ſuo, quem tota reliqua die ſuis votis,

imperijs,et nutibus habuit obsequentissimum,suæ gloriæ studiosissimum? Scribit ipsemet Jonnes noster de se: *Angelum Custodem semper præsentem cogitavi, et quando aliquam portam, templum vel scholam ingressus fui, sedi, dormivi; semper aliqua cæremonia ipsi primum locum assignavi. Sæpe ingenti gaudio cogitatio Angeli Custodis præsentis me recreavit*: Non miror. Similis simili gaudet.

Ita experrectus, Scribit ille, *statim ad Deum mentem levavi, salutataque Beatissima Virgine & reliquis Sanctis, quos mihi illa nocte Tutelares elegeram, gratias summas pro beneficiis illa nocte acceptis egi. Deinde, oblatis ad Dei honorem illius diei actionibus, B. Virginem elegi pro illa die & Angelum Custodem; custodes nimirum ne committerem quidquam, quòd illorum oculos posset offendere. Post, Litaniis recitatis, preces Congregationis persolvi, deinde ad meditationem horariam mentem præparavi.* Ita ille. Ad hanc meditationem peragendam frequenter ad Sacram ædem convolabat, ubi gemino Sacrificio interfuit: fortassis unum auscultavit pro ijs, qui Sodales cùm sint, ferialibus diebus, etiam totis mensibus, vel uni interesse dedignantur. Sub gemino hoc Sacro Beatæ Virgini sua commendabat studia, & enixissimîs precibûs felicem in ijs exorabat progressum. Et quidni illud reponeret Patrona Virgo: *Ego diligentes me diligo; & qui manè vigilant ad me, invenient me?* Nimirum *qui manè vigilant*, non qui multam in lucem stertunt, qui in lectulo velut ianua in cardine cum stridore se circumvertunt; sed qui primo diei diluculo

lo oculos, et manus cælo attollunt, linguas, & labia in laudes Marianas ſolvunt; qui tanquam ſeduli clientes Patronæ ſuæ matutinum ferunt Aves; illi, illi referunt cæleſtium donorum chariſmata, quæ pleno ſinu in cultores ſuos opulentiſſima Virgo primam ſub auroram effundit. Optima profecto laboris auſpicia, ſi à pietate ducantur: benè fluunt Muſarum ſtudia, ſi ex lampade Mariana hauriantur.

Domum reverſus, reſiduum uſque ad ſcholam tempus litterarum ſtudio conſecrabat. Poſtmodum Gymnaſium accedebat ſumma cum modeſtia, auditóque dein cum cæteris devotiſſimè ſacrô conſuetô, ad ſcholas denuo reverſus, in ijſdem non petulantem, ſed cumprimis morigerum ſe præſtabat. Audi elogium, quod ipſi Congregationis acta attribuunt: *In ſchola ſemper attentus, nunquam garrulus; nunquam in ſchola, vel alibi ſcamno incumbebat: nunquam vel Præceptori, vel alijs impoſuit, nullum mendacium dixit.* Ubi tu modò talem invenies? Procul, et de ultimis finibus pretium ejus.

Soluta ſchola iterum ſacram ædem petebat; ubi rebus divinis tantiſper recreatus, ſæpè non ſinè lacrymis ad prandium domum revertebatur. Menſæ cùm aſſideret, ſecutus Apoſtoli monitum, omnes cibos ad honorem Dei offerebat, ac deſiderium ingens in ſeſe excitabat ad ſingulos boſ los, accipiendi Sacratiſſimum Corpus Chriſti.

Prandio peractô orationi ſe dabat, aut piæ colloquutioni, aut ſacrarum imaginum picturæ, ad duodecimam uſque: qua audita reſumebat iterum

pri-

privata ſua ſtudia, uſque ad tempus ſcholæ, quam nunquam ingredicbatur, niſi viſitato priùs Venerabili Sacramento; quo non paucos alios ad ſui imitationem pertraxit.

Finitâ ſcholâ ad Eccleſiam iterum regreſſus, aliquamdiu protrahebat orationem, quam uſque ad ſextam ſequebatur literarum ſtudium: dein aliquod breve conſcientiæ examen, quod ter, vel quater interdiu repetebat. Quàm longè abfuit ab ijs hic adoleſcens, de quibus S. Bernardus: *multi quærunt ſcientiam, pauci verò conſcientiam: multi ſcire volunt; pauci autem facere ut priùs per ſtudium boni operis mundetur conſcientia, primum diſce, quid facias; poſtea quære, quid ſcias.* Cæterùm qua ratione diem clauſerit, percipiamus ex eiuſdem verbis: *Finita cœna, et recreatione ſpirituales libros perlegi. Poſtea me ad craſtinam præparavi meditationem; deinde gratiis Deo actis pro beneficiis à Deo illa die acceptis, omnem illam noctem Deo obtuli, recitataque formula Congregationis, miſerere, et de Profundis cum orationibus pro Sodalibus defunctis recitavi. Deinde parentibus commendatis pro illis hæc rogabam: facerent in omnibus Dei voluntatem: nunquam illum graviter offenderent: Deus illis neceſſaria tam animi tam corporis daret: denique, ut felicem finem habentes ſimul in Cœlis gauderemus.*

Finitis deinde B. Virginis Litaniis ad examen me præparavi, quod comitabatur ingens omnium peccatorum meorum dolor. De hora ad horam illud faciebam, & ſingula exquirebam: an primas cogitationes Deo dederim? Quomodo me induerim,

quomodo ſtudia tractaverim? An meis actionibus bonam intentionem præfixerim? quomodo quinque ſenſus cuſtodierim? An otioſus tempus perdiderim. In ſumma: adeò ſtrictè mearum actionum inivi rationem, ut ferè ſemper media hora examen duraverit cum dolore poſtea excitato, quem ſemper in corde ſenſi & facto propoſito firmiſſimo potiùs millies moriendi, quàm Deum vel leviſſimè offendendi.

Demum ut faciliùs meorum remiſſionem peccatorum impetrarem, B. Virginem, SS. Angelos, Patronos, & Curiam Cæleſtem rogavi, ut hoc apud Deum exorarent. Poſtea parumper mortem meditatus, felicem finem, ut munitus SS. Sacramentis excederem, rogabam Deum. Demum meis erratis pœnitentia injuncta, ſpiritualiterque Sacra Synaxi refectus, priùs actibus fidei, ſpei, charitatiſque elicitis, aqua luſtrali aſperſus, ter imagini SS. Sacramenti exhibita genuflexione, in honorem illius ter terram fui exoſculatus, & quinquies in honorem quinque vulnerum Chriſti, accepta effigie Chriſti in crucem acti cubile ſignavi. Poſtea in amplexus ruens, quinque vulnera oſculatus actus amoris exercui lacrymis effigie rigata.

Poſtmodum anima, & corpore Deo commendata rogavi B. Virginem & Patronos, ut me defenderent à periculis animæ, & corporis, & etiam à turpibus ſomniis. Deinde lecto aqua benedicta armato, incepi totam Chriſti paſſi hiſtoriam breviter repetere. Denique diſtributis circa lectum cuſtodibus Chriſtum, & B. Virginem ad caput poſui; ad latus Angelum Cuſtodem, & ita reliquos San-

ctos

ctos : ad pedes verò crucem Christi patientis, & ita quocunque aspexi, aliquem horum imaginabar mihi videre : quare summa cum reverentia lectum ingressus sum exhibito prius Sanctis honore : verba ultima fuere : Jesu Maria Joseph ; & ita in piis cogitationibus somnum cæpi, manibus in crucis modum compositis, quas ob causas sæpissimè spiritualia somniavi. Ita illc

Ecce ordinem diurnum, Mariano Clienti, et artium liberalium studioso observandum. Post auspicatam precibus diem, post operam musis navatam, post pensa scholastica reddita, post finem honesto ludo, aut pio colloquio impositum, post conscientiam examine discussam, post preces ante cubitum persolutas, dormitum concedunt, modestè se in lecto componunt, oculos in facilem somnum declinant, noctémque quietè, & silenter agunt, et cogitationes cum oriente die susceptæ morientém quoque diem claudunt. Sic decet Sodales Parthenios vigilare, sic dormire ; cura modestiæ, et verecundiæ non stantibus modò, sed sedentibus, et ambulantibus, immo etiam jacentibus habenda. Virgo Patrona libidinis etiam umbram aversatur. Ex divo Antonino scimus, puriſſimam castimoniæ nutricem inter S. Cæciliam, et Catharinam Virgines mediam, religiosorum lectulos circumiviſſe, aquam lustralem sopitis aspersisse manu, vocéque benè precatam fuisse, unô ex ijs aversis oculis præterito, quòd minùs decenter decubuisset. alium quoque transeundo neglexit, quòd alterum è lectulo pedem, fortè per imprudentiam, in somno, non

in vigilia, nudatum expoſuiſſet. unde diſcendum, honeſtatem, et verecundiam, etiam in cubiculo, etiam in lectulo, etiam de nocte cordi habendam; ut nihil inciviliter, nihil impudicè fiat. Delicata res eſt caſtitas; etiam cùm dormit, vigilat, & curam pudicitiæ retinet; Licèt abſint hominum oculi, non tamen deeſt arbiter, & Cuſtos Angelus.

§ II.

Quomodo ſe aliarum virtutum exercitio perfecerit?

Multam malitiam docuit otioſitas, inquiebat Sapiens; ſed quam illa malitiam docuiſſe potuerit Joannem noſtrum, haud ſanè diſpicio; cùm ne momentum quidem temporis pro magiſterio ſuo nacta ſit, quod iſte non conſecrâvit labori, nec labori inani, ſed perenni virtutum exercitio præſertim humilitatis, et mortificationis, in omnibus occaſionem captans amplioris meriti. En quid ipſe de ſe referat in ſuis manuſcriptis.

Interdum ligna in culinam portans admirantibus reſpondi; me actiones iſtas facere doctum amantiſſima, et chariſſima magiſtra animi Demiſſione, quæ docet, quo nobiliores, eò modeſtiores nos eſſe oportere. Interdum Religioſis iter facientibus portavi per urbem, vel meam patriam

triam ipſorum pallia, baculos, aliáſque Sarcinas ſumma cum hilaritate, eóſque per longum viæ tractum ad Monaſterium comitabar. Interdum in genua provolutus alterius calceos detraxi, cujus poſtmodum pedes deoſculabar.

In culina interdum inſervivi magna cum alacritate, ſubin ligna tuli in locum deſtinatum, quod munus Coqui eſt, in quo officio duravi, uſquedum Materfamilias ſuperveniret: illa abeunte iterum clam ad meum opus acceſſi. Interdum clàm culinam ingreſſus offam, vel alia parabam ita, ut quando coqua veniebat, paratam illam inveniens, gratias mihi egerit, & ego illi. Interdum ancillam juvi in expurganda oriza, quam interim, ut mentem ad Deum elevaret, admonui. Sæpius ipſe vaſa aquâ luridâ repleta evacuabam, quod præſtabam ancilla non advertente, vel aliá perſonâ alioquin non permiſſurâ. Accidit interdum, ut munus coquæ obirem, cultello ſcinderem herbas comeſtorias, ſale condirem cibos, accenderem ignem languentem: Subinde etiam expetii, ut me edoceret coqua, quomodo hæc vel illa res eſſet paranda: Poſtea edoctus illius officium fui executus. Contigerat fortè, ut errarem, à qua humillimè veniam petii, non ampliùs me facturum pollicitus: quæ ſubjungebat: imò ego debuiſſem veniam poſtulâſſe, quod permiſerim, ſe meum peragere munus.

Semel in horto quodam vidi laborantes: citò ipſemet advolavi, & cum ipſis inſerui plantas, expurgavíque alia, & interea ipſos ſpiritualia docui; etiam res expurgatas ipſe éxportavi, aliis in-

terim admirantibus. Interdum humilitatis ſtudio lavantibus ſe aquam infudi : poſtmodum ſtrophiolum ad exſiccandas manus porrexi. Sæpè aliorum veſtes tanquam famulus ſcopâ purgavi. Meas mihi veſtes ipſe refeci ; licèt potuiſſem *ancillis* dare. Ubi ubi poteram , venabar occaſiones me humiliandi & mortificandi . Semel in publica ſupplicatione per urbem ducta me homini ſemiſtulto , & qui erat jocus & fabula omnium , aſſociavi , nec curavi admirationes omnium , & mei contemptum , qui inde naſci poterant ; ſubinde in templo in maxima hominum celebritate terræ oſcula dedi : Quando intermiſeram facere aliquid, de quo monitus fuiſſem interrogatus deinde , an illud præſtitiſſem ? reſpondi , cauſis , quas juſtas habebam , ſuppreſſis , fuiſſe in cauſa meam pigritiam , & negligentiam &c.

Hæc ille , & ejusmodi virtutum actus , ſuíque in rebus licet minimis victorias in ſuis manuſcriptis per aliquot folia enumerat : nimirum quoniam heroicæ virtutis occaſio non ſemper ſuppetebat , in rebus parvis ſemetipſum ſuperare nitebatur , ut , cùm occaſio tuliſſet , etiam magna aggredi non reformidaret , ſecutus magnum Orientis Apoſtolum Franciſcum Xaverium , ſuos identidem admonere ſolitum , *ut ſemet parvis in rebus vincere aſſueſcerent : ita demum majorum certaminum fore victores* . Prudens ſanè , & vitæ humanæ conformis admonitio. Etenim plerumque à minimis incipit , qui deſinit in magnis .

Videtur mihi Mariophilus noſter imitari voluiſſe

luisse hominem illum, quem historiæ memorant exstitisse eâ roboris præstantiâ præditum, ut bovem, taurúmve sublatum in humeros non difficulter portare valuerit. Unde huic tanta virium magnitudo? à minoribus experimentis. Vitulum à teneris quotidie humo attollebat: crescente vitulo, crescebant elevantis vires; quæ denique sensim gravitati pecoris respondentes, jam bovi ferendo suffecerunt. Perinde se habere exercitamenta virtutum non ignorabat Sodalis noster: periculô in levioribus facto, ad grandiora assurgendum, & quotidianis profectibus aucta maturescere ad perfectionem: In minimis probandum conflictibus, quàm viriliter in majori certamine stare possimus.

Verùm enim verò in nulla re magìs ejus cura tota die distinebatur; quàm in frangenda voluntate propria. Nec immerito: magnus quidem hominis hostis mundus, caro, dæmon; sed major voluntas propria, de qua S. Bernardus: *cesset voluntas propria, & infernus non erit.* Sed quid est hæc voluntas propria? Illa, ut S. Bernardus loquitur, quæ non est communis cum Deo, & hominibus, sed nostra tantùm: quando, quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem propriam, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo, nec prodesse proximo, sed satisfacere proprijs motibus animorum. Quando non sequimur legum divinarum, nec humanarum, nec rationis, sed naturæ in sua commoda impetum.

Hanc probè domare didicerat Athleta noster, ut

in hoc genere crederes repræsentâsse Religiosum in ipso sæculo. Audi, quid ipsemet in suis bonis operibus de se scribat. *Studebam abnegationi voluntatis propriæ. Cùm hoc volebam facere, aliud agebam: volebam hoc videre, & non aspiciebam; Jam maluissem sedere, & stabam, jam delectabar cum Deo agere in oratione, & inde avellebam me ad studia ex debito peragenda: Jam incitabar ad comedendum unum adhuc bolum, & amore Dei relinquebam. Interdum iam somno me dederam, & iussus aliquid facere, etsi non tenerer, tamen somnum & lectum dimittebam.* Ita ille: Et sanè id ipsum de se dicere poterat hic Sodalis, quod ille Societatis Jesu Tiro in domo Probationis Brunensi, quærenti amico, quid rerum tandem ageret, breviter respondit: *Quid faciam Brunæsi de me quæris amice: Quod nolo, facio quod volo, non facio.*

Parva hæc tibi videbuntur, & exigui momenti, proin nec digna, quibus tuum impendas studium. Sed erras: nunquam magnus eris, si parva hæc spreveris. maxima à minimis sua trahunt exordia; Percipe quid Hieronymus: *non sunt contemnénda quasi parva, quibus magna constare non possunt. Magnis victorijs paruas præmitte.* Leunculos oportet ut vincas, si cum leonibus congredi est animus. Virtus magna in minoribus semper experimentum capit. Tu quoque, qui tecum ipso certas, experire in parvis, quid possis in magnis. si ad verbi asperioris morsum in iras excandescis, quo animo te calumniam laturum arbitrabere? si iræ impetum cohibere nescis, quando calamus, quo scribis, non est aptus, vel cultellus

quo

quo uteris, non eſt ſat acutus, aut obverſatur calix, aut menſa negligentiùs ponitur ; quomodo cohibebis injuriis laceſſitus, verberibus appetitus? Si pulicis punctiunculæ cedis, ſcorpionis ictum, quomodo ſuſtinebis?

Aſt quam coronam tot minoribus hiſce Joannis noſtri victoriis & triumphis in cœlis repoſitam opinamur? R. P. Nierenbergius refert, S. Odonem menſæ aliquando accumbentem, cùm toto animo in lectionem ſacram intenderet, & jam evolutô veſcendi ſpatiô cænobii Abbas menſæ finem indiceret, collectas de more micas conſumere neglexiſſe. Quid hìc ageret? eas abſumendi otium deerat, non abſumptas relinquere, ne fortè perirent, non licebat. Poterat, obſervante nemine, ſub menſam excutere, poterat abjicere ; nec tamen id egit, ſed ſuî vincendi occaſione uſus, manu micas retinuit, ac peracta communi gratiarum actione, ex Refectorio egreſſis Fratribus, ad pedes Abbatis ſe abjicit, veniam deprecatus. Petitæ cauſam veniæ rogatus, micas à ſe collectas, nec tamen abſumptas dum exhibet, illæ in margaritas verſæ Abbatem primùm, cæteróſque omnes in ſtuporem egerunt ; deinde in ornatum Eccleſiæ miraculô ipsô ſanè quàm pretioſum ceſſerunt. Quàm quæſtuosè non hic ſecutus eſt illud Chriſti monitum : *colligite fragmenta, ne pereant?* Sed non minùs fructuosè noſter Sodalis : tot illæ in minimis victoriæ, illa ſomni excutiendi ſummo mane alacritas, illud oſculum terræ fixum, illa ſenſuum refrænatio, illa vindictæ cohibitio, illa ignorantiæ confeſſio,

essio, exacta illa in minimis præstita moderatoribus obedientia, fragmenta quidem sunt, ramenta sunt, micæ sunt; sed erit, erit, cùm in margaritas, in gemmas, in uniones versæ, atque in victrices coronas mirandô supremi Numinis artificiô intextæ illius & omnium quondam verticibus stellis, ac sole clariùs scintillabunt, qui Mariophilum nostrum sequi voluerint, & imitari.

CAPUT VIII.

REGULÆ NONÆ SYNOPSIS.

Omnes frequentent ordinarios conventus; absentiæ verò causas idoneas, aut pœnas dent.

§. I.

Quanti fecerit frequentiam Marianorum Conventuum.

PArtheniæ Congregationes in bonum Reipublicæ Christianæ à Societate Jesu inventæ & institutæ tenuia prorsus habuerunt initia; sed quæ maximis incrementis Dei Deiparæque favore in immensum excreverunt. Rem totam Franciscus Sacchinus sic enarrat. Inchoata est pia quæ-

quædam Sodalitas, auctore Joanne Leonio Belga, infimæ Rudimentorum Grammaticæ classis Magistro, inter inferiorum classium adolescentes ex his, qui præcipuo studio sociare cum literis pietatem cuperent. Cœpêre diebus singulis, post missos cæteros, in unam è scholis, in qua altare pulchrè ornaverant, congregari. Ibi aliquamdiu orabant universi: Deinde unus è pio libello quidpiam legebat, audientibus cæteris: diebus verò Dominicis, ac festis, etiam vespertinas de more Ecclesiæ, modico cum cantu, peragebant preces. Ex his rudibus initiis Sodalitates, quæ deinde B. Virgini studio præcipuo dedicatæ, tam insigni juventutis, atque aliorum bono, certis formatæ institutis, latè per omnes mundi oras fusæ sunt, emanârunt. Hactenus Sacchinus.

Mihi autem hæc in medium proferre placuit ad illustrandum Tridentini Sodalis nostri rarum zelum, quo in Marianorum cœtuum frequentiam exarserat. Nam non contentus publicos illos, & ordinarios frequentâsse omnes, cùm aliquot adolescentes nactus esset è gymnastica juventute sui imitatores, in privatis civis cujusdam ædibus cum iisdem novam Congregationem erexit. Videre erat in peramplo cubiculo ex utroque latere septem cellulas, seu parva cubicula, asseribus, tapetibúsque à se invicem discreta, quæ sacello cuidam adhærebant, in cujus ara Magnæ Matris prostabat imago. Scopus, quò novô hoc Sodalitiô Joannis zelus collimabat, erat, ut adolescentes illi diebus potissimùm recreationum à pravis Sociis, periculosísque conventiculis, lusi-

búsque

búſque abſtracti in ſua cuſtodirentur innocentia, ac tempus virtutum exercitio, ſingularíque Mariano cultui conſecrarent.

A principio duodecim numerabantur Candidati, ſub novo hoc vexillo Magnæ Matris honoribus militaturi, lapſu temporis hoc numero in majorem excreſcente; quos omnes primò omnium in pia commentandi arte gnaviter inſtruxerat, quam ipſemet tanti fecerat, ut omnem ſuum in virtutibus progreſſum eidem veluti validiſſimo inſtrumento in acceptis referret. Cœterùm ſtatis diebus horíſque cogebatur cœtus, in quo jam Deiparæ decantabantur laudes, jam corolla recitabatur Mariana, jam pia inſtituebatur commentatio, jam libri ſacri prælectio, jam ſpirituales conferentiæ, jam pia colloquia. Sua cuivis aſſignata erant officia, ſuus in orbem redibat labor, & concinna piarum functionum varietas mirè omnia condiebat. Adhibebantur quoque crebræ corporis diverberationes, aliáque pæniten-tiæ opera orationem comitabantur.

Non eſt, cur hìc miremur, voluiſſe Joannem noſtrum cum nobilibus hiſce adoleſcentibus novam, cámque tam piam excitare Congregationem, cùm ille tot alias profanas identidem in lucem prodire obſervârit. Etiam nobilior & opulentior mundus aliquibus in urbibus ſuam erexit. Indicuntur conventus ordinarii non in ſolam diem Dominicam, ſed quandóque in ſingulos dies: celebrantur cum interventu utriuſque ſexûs: conſidetur ad menſulas: confabulationum, luſuúmque ſervent ſtudia; Protrahuntur cœtus non unam ad ho-

horam, ſed ad plures, & quandoque in ſeram noctem.

Scio equidem antiquam hìc illam cantilenam nobis occini: *Quid mali fit, quid mali fit in his conventibus?* Sit ita, quod ais: An nihil mali interim fit domi à familia, à liberis ſibi ſolis, ſuæque effreni licentiæ relictis? An forſan, ut olim Job, *quando ibant filii ſui, & faciebant convivium per domos ſuas, unuſquiſque in die ſuo, conſurgens diluculo offerebat holocauſta pro ſingulis*, ita vice verſa hodie filii domi relicti, orant pro parentibus abſentibus, & ſervi pro dominis, ut in illis voluptuariis conventiculis nihil mali fiat? Dices: huic malo à cautioribus parentibus jam conſuli, & liberos unà ſecum ad hos conventus deduci, ut ita ſemper ſint in oculis, & ſub conſpectu parentum. Capio, ut nimirum à teneris aſſueſcant præclaris majorum ſuorum veſtigiis inſiſtere.

Sed, amabo te! an non hæc ætas videtur minùs apta, & immatura? an non incultiorem juventutem neceſſe erit identidem impingere contra politiſſimas illas tot affectatæ comitatis leges? Cùm vix Lallare ſciànt, qua ratione colloquia protrahent in multas horas, in ſeram noctem?

Reponis: etiam huic ætatis defectui hodie proſpectum. Quî ità? eduntur jam in lucem libelli per modum catechiſmi, qui per interrogationes & reſponſiones facilem, & ad omnium captum accommodatam exhibent methodum, qua ratione, etiam à tenera juventute, hi conventus cum decoro frequentari queant. Toti ſunt hi

cate-

catechiſmi in ordinandis cæremoniis, dirigendóque colloquio, cum altero præſertim ſexu. Ingeniosè docent, quibus verborum phaleris nobilis adoleſcens alloquatur domicellam: &, cùm foemina ſit animal, laudis cum primis appetens, oſtèndunt, unde petendum encomium, nimirum à forma, à cincinnis, cæteróque mundo muliebri: ut in graviſſimo hoc conſeſſu prima fronte appareat, te non ſtivæ natum, ſed à natura artéque fictum, factúmque, qui nobili gynæceo ad ſtuporem uſque ſubſervire queas. Ad hoc conducuntur magnô pretiô moderatores, & inſtructores, qui informent, qui induſtriam acuant. Superi boni! quis non videt jam, quantopere cum ſeneſcente mundo & ingenia deficiant; cùm, quod Parentes olim didicêre ſolâ magiſtrâ naturâ, id jam filiis, & teneræ ætati neceſſe ſit per catechiſmum inſtillari, & inculcari, & ſponte currentibus calcar addi. Sed hæc per parentheſin, & contra immoderatos hos conventus, non verò moderatos & laudabiles. Nos ad noſtra.

Inter alias leges, ad quas tenebantur novi noſtri Congregati, erat, ut ſingulis octiduis, vel ſaltem quartodecimo die ſacra exomologeſi conſcientiam expiarent; quam ſi intermiſiſſent, ad ultroneam ſeſe offerebant pœnam. Diebus feſtivis tenebantur gemino intereſſe Miſſæ Sacrificio, aliiſque ſeſe exercere pietatis operibus. Legem etiam ſibi tulerant optimi hi adoleſcentes, ut panem, qui ex merendula ſupererat, die Sabbati in altare deponerent, poſtea pauperibus diſtribuendum.

In

In hunc hortulum Marianum à Joanne consi-tum, suam quoque falcem immisit præmaturâ mors, & flosculum sublegit cælo iam maturum. Erat is adolescens lectissimus, Joannis contubernalis, qui rerum Spiritualium amore ita captus fuit, ut etiam de nocte ad orandum surgeret, & ad Joannis exempla suos mores totus effingeret. Et ne existimes, hanc culturam in flores tantùm, & folia protuberâsse, dignos quoque Pœnitentiæ fructus protulit; nam adolescens hic mortuus, repertus est ferreô ciliciô corpori arctè adstrictô incinctus, quo ultimum suum agonem sustinere voluit, cum eodem etiam tumulo illatus, ex quo vel moriens illud Christi inclamat: *sint lumbi vestri præcincti*. Verùm, quot putas è voluptuarijs illis, & immoderatis mundi Sodalitijs ciliciô indutos elatos fuisse in tumulum? fors plures invenies, qui cruenti cum ferro in manu è duellis se iudici stiterint, ùt zelotypiæ sacrificia, sic iam æternis ignibus victimæ destinatæ, non pœnitentia ibi discitur, quæ in hoc mundo agatur; sed quæ in alterum reservetur, agatur, hìc accumulatur. Salvator monet: *contendite intrare per angustam portam*, & violentia opus esse docet, suique perenni victoria, ut intres. Sed, quam contentionem adhibent illi, quam vim sibi inferunt! quorum dies vitæ sunt dies recreationis, dies conversationis; quorum vita perpetuum est voluptatum aucupium, & vanitatis studium.

In Joannis nostri oratorium, cùm annum, & dimidium stetisset, tandem tempestas superincubuit, ab orco excitata: pravi enim aliquot socij,

bonum

bonum omne exosi, baculis, fustibúsque armati, in conclave irruêre, excitatóque vesano strepitu orantes interturbare primò sunt conati, verùm, cùm hac ratione nihil effeciſſent, cætu in oratione perseverante, in ipsum oratorij tectum insiliêre, iniectíſque per fenestras primò lignorum fragmentis, demum etiam ardentibus titionibus eò pios adolescentes adegêre, ut, etiam ex aliorum consilio, tempori cedendum rati, oratorium illud suum dissolverint, non sinè luctu, & lacrymis. Nempe ut semper infestæ luci sunt tenebræ; ita mali, bonis: &, ut noctuæ, versipertilionésque lumen, quod ferre non possunt, infestant; ita, & virtutis comes invidia, quæ eminentem pietatem sustinere nequit, utpote perpetuam impietatis censuram.

§ II.

Quomodo destructum suum Sodalitium iterum erexerit?

EVerso priore illo pietatis cætu stygius ille lavernio iam pœana concinebat: sed iussus est mox palinodiam canere, ubi Mariophilus noster in alias ædes, & convictum commigrans, antiquum suum oratorium iterum instauravit. Pro fabrica, pecunias paucas ab alijs collegerat, pleráſque de suo subministrârat; cúmque istæ defeciſſent, thecam argenteam, in qua ceram benedictam

dictam è collo pendulam gestabat, vendidit, ut suppeteret, quod in sumptus expenderet: longè quæstuosiori operæ pretiô, ac illi faciunt, qui pro promovendis continuandísque nocturnis illis conventiculis non tantùm sua pessumdant omnia, sed etiam aliena; cùm debita contrahant nunquam solvenda.

Oratorium hoc longè elegantiori ordine, ac prius illud extructum erat, ad eius ædificium ipsemet propriis manibus, humerísque non verebatur deferre asseres, aliáque necessaria; conducto etiam suis pecuniis homine, qui suâ operâ opus promoveret. Singulis mensibus novus eligebatur Magistratus: cæteris verò adolescentibus nostrum hunc Joannem sibi præficere nitentibus constanter ille se se opposuit, malens æditui munere fungi, quàm Præfecti. Tandem aliorum precibus expugnatus, hoc munus in se suscepit, quod cum omnium commendatione gerens, suo ductu ad raram morum innocentiam, pietatémque omnes evexit. Diebus, quibus à scholis vacabatur, visitatum ibant Ecclesias Beatæ Virginis, in itinere de rebus piis colloquendo. Statis tamen horis omnes iterum conveniebant, ut conferentias Spirituales inter sese agitarent. Domo exeunt & illi sæculi Sodales, & visitant, sed quàm rarò Virginem Matrem, tam frequenter alias, an propter Christum, vel Lazarum, nescio. Considetur ad mensulas, omnia oculorum licentiæ laxantur frœna: luditur, miscentur colloquia cum altero sexu, in similitudinem templi exornato; & tamen inter tot malorum irritamenta

constanter protestantur, cor suum pulsari ne quidem minima prava cogitatione? In nieros Angelos immigrâsse crederes omnes; cùm in hos conventus commigrant: adeò humani ampliùs patiuntur nihil.

S. Hieronymus fatetur, se in eremo, in vasta & solis ardoribus exusta, horridáque solitudine constitutum, scorpionum, & ferarum Socium, fœdis imaginibus illusum, sibi visum esse Romanarum puellarum choreis intereſſe: et isti, ubi omnia concupiscentiæ irritamenta sunt præsentia, longissimè se abesse iactitant ab omni sinistriori insultu. Credat hoc Judæus Apella. *Ne velis dicere*, inquiebat Hugo à S. Victore, *loquor cum muliere, & mundus sum; ignem luxuriæ accendit confabulatio*. Huius periculi non ignarus Ingolstadianus nonnemo Sodalis, & Parochus, ubicunque poterat, se fœminarum colloquiis subducebat: quæ severa solicitudo, ne vel oculis, vel animo excideret unquam, scriptam maioribus à se litteris hanc Divi Bernardi sententiam suo in cubiculo suspendit: *cum mulieribus conversari, & non concupiscere, plus est, quàm mortuum suscitare*. Verùm eiusmodi miracula in istis conventiculis patrantur hodie sinè fine; ut pro canonizatione quorundam horum Sodalium hac ex parte nulla esset difficultas, si non maior se se ingereret circa virtutes. Sed redeamus ad nostra.

Subin adolescentes nostri duce Joanne deambulatum egressi, si in mendicabulum incidissent, vel signum crucis formare, vel actum contritionis

nis

nis elicere, vel ciuſmodi quid pii edocebant, hunc in finem ſecum ferebant imagines, roſaria, aliáſque reculas pias, propriis coëmptas pecuniis, eadémque paſſim diſtribuebant in obvios ruſticellos; quos ita ſibi hac pia liberalitate benevolos reddiderant, ut, ubi prætereuntes vidiſſent, ſtatim, hac ſacrâ eſcâ attracti, ſequerentur; iſti verò, occaſione hac uſi, ad pietatis opera pro viribus hortabantur. Subin ſolus noſter Mariophilus extra urbem ducebat ſecum ad ſacellum quoddam aliquot mendicabula, quæ primis fidei eradicebat elementis propoſitis præmiolis, quod præ cæteris expeditiùs ad propoſitas quæſtiones reſpondiſſent. Semel, ubi advertit, mendicum carere corolla Mariana, nec alia ad manum eſſet, propriâ ſeſe exſpoliavit: aliàs ſat longo itinere domum revolavit, ut pauperi afferret ceram benedictam, qua eundem carere intellexerat, et ita omne tempus quà pietatis, quà charitatis exercitiis inſumebat.

De eodem memorant Annales, quòd è ſuo recèns erecto cœtu mors alterum ſibi conſodalem eripuerit; adoleſcentem, ùt ſtemmate nobilem, ſic virtute longè illuſtriorem. Iſte in gravem prolapſus morbum, octiduo antè, quàm è vivis diſcederet, enixiſſimis Joannem rogaverat precibus, ut, quandoquidem in vita ſuus fuiſſet ad pietatem ductor, ita etiam in morte ſibi aſſiſteret, & ad ſupremam animaret luctam: quod & lubens ille præſtitit, ea animi contentione, ſpiritùsque fervore totam illam noctem, quæ ultima interceſſerat, coram moribundo tranſigens,

actúsque virtutum voce præiens, ut viribus exhaustus, contracto tota facie pallore, penè ipse mortuus, videretur morienti assistere: ex cuius tamen præsentia haud facilè dictu est, quantum hausisse solatium notatus sit moriens. Nescio, an simile caperes solatium, quisquis sæculi huius Sodalis es, si, quorum & quarum conventus immoderatè frequentâras in vivis, omnes morientis lectulo assisterent, fors adstantes nobiles illæ alterius sexûs Sodales, species refricarent, & ad mortualis candelæ lumen longè clariùs mentis oculis obijcerent integram iliadem pravarum cogitationum, quæ in vivis sub specioso illo verborum cortice; *quid mali fit?* latebant absconditæ. Fors horum & harum præsentia longè vivaciorem ingereret memoriam tot peccatorum omissionis, quæ necessariò post se trahit vita illa otiosa, fors illud Jobi tibi extorqueret suspirium *Dies mei transierunt*. O Dies, quàm multi numerô, quàm æstimabiles pretiô, quàm celeres tempore! in ictu oculi transierunt. Transierunt dies illi salutis, dies meriti, dies placendi Deo promerendi cœlum, agendæ pœnitentiæ, augendæ gratiæ, obtinendæ gloriæ. Transierunt: Sed quomodo transierunt? vacui sinè merito, steriles sinè fructu, inanes, sinè lucro. Hæc fortassis lamenta exciret præsentia tuorum consodalium, nec video, quid admodum solatii sperare tunc posses à communione bonorum operum; cùm illi conventus potissimùm videantur instituti, ut divites operibus quondam vacui & pauperes è vitæ stadio discedant.

CAPUT

CAPUT IX.

REGULÆ DECIMÆ SYNOPSIS.

In celebrandis ſolemnitatibus procurent omnes ſua ope & exemplo majorem Dei Deiparæque gloriam, & honorem.

§. I.

Quomodo ſolemniora B. V. Feſta celebraverit?

INſtituit ſuas Solemnitates Deus: inſtituit, & mundus. Deus præcipuas voluit celebrari cum octava: mundus octavâ non contentus, Bacchanalia præcipuum ſuum feſtum in aliquot extendit hebdomadas, & utinam non eſſent ex Chriſtianis, qui toto anno hoc feſtum celebrarent, & agitarent Bacchi orgia! Quo fit, ut, cùm pluribus intentus minor ſit ad ſingula ſenſus, & nemo duobus Dominis ſervire queat, feſta Dei quandoque iaceant, mundi floreant. Hinc optandum, ut plures Mariophilo noſtro ſimiles hoc ſæculo reſurgerent, unde mundus diſceret, qua ratione, & devotione Dei Deiparæque ſolemnitates tranſigendæ. Hîc iam perſequî

lubet, quomodo ſolemniora B. V. Feſta agitârit Sic itaque ille de ſe ſcribit.

Quando dies feſtus B. Virginis adventabat, ſingulari devotione me ad illum præparabam. v. g. octo diebus ante emundata per Confeſſionem conſcientia S. Synaxin accedebam: à carne ter aut quater abſtinebam: ieiunabam itidem uno tantùm vel ad ſummum duobus ferculis contentus: nil vini ſumebam, modeſtiam etiam maiorem, ſilentiumque ſervabam. Diſciplinas fermè quotidianas faciebam: cilicia tres horas ſtrictiſſimè corpori applicabam, ac veſtitus noctu dormiebam. Quotidie aliquid de B. Virgine meditabar. Hac ratione non ſine magna animi mei conſolatione amor creſcebat. Quare in pervigilio duas ad minimum horas meditationi impendi; ubi invitavi B. Virginem Angelum Cuſtodem, S. Joannem Evangeliſtam, & alios Sanctos, quibus in ordinem diſpoſitis primum matri locum dedi: inde exordio uſus incepi totam ſanctis illis B. Virginis hiſtoriam, & vitam recenſere tali cum pietate, ut ad ſingula ferè verba lacrymas funderem: Præſertim quando recordabar valedictionis B. Virginis à Chriſto filio; neque intueri illius effigiem ſine valetudinis periculo poteram: vires enim deficiebant, & continuæ lacrymæ ſequebantur. Demum cùm duas horas lacrymis dediſſem, validiceremque Matri meæ, talis me dolor invaſit, ut viribus deſtituti, facie veſtiſque inflammati cor adeò quàteretur, ut coactus demum fuerim in lectum me proſternere, ubi paulo poſt redeunte ſpiritu iterum cæpi colloquium cum B. Virgine, petiique, ut mihi cor ſuum daret, offerens viciſſim

meum

meum, quod quidem tanta lacrymarum affluentia fervoreque præstiti, ut lacrymis vestes maderent. Hæc ille.

En! quò sanctiùs festa Purissimæ Matris coleret, id exorsus est à mundanda sacra exomologesi conscientia, procul dubio illud Dei monitum secutus: *Nolite portare pondera in die Sabbati.* Jerem. 17. Ponderum horum nomine plures interpretum peccata intelligunt: & rectè, ni fallor, cùm peccata sint onus tam grave, ut vel angelicis imposita humeris in cœlo, momento eos depresserint in centrum abyssi. Hæc tamen pondera non pauci Sodalium, cùm toto anni tempore iis pressi incedant, ne quidem diebus festivis deponunt. Quin, quod pejus est, aliarum quoque culparum mole illa exaggerant, iisdem omnino diebus, quibus illa vel maximè oportet excutere. Hinc justissima illa S. Cyrilli querimonia: *Idne est, o Christiani, celebrare diem festum, indulgere ventri, & inconcessis voluptatibus habenas laxare? Diebus ad exercenda opera servilia concessis, unusquisque suo intentus est operi, & abstinet à crapula, ludis, & vanitatibus: diebus autem festivis passim concurritur ad cauponas, & ludos; ad spectacula & choreas in irrisionem Divini nominis, & diei prævaricationem.*

Observaveris superiùs, Mariophilum nostrum his in pervigiliis, quò certiùs reciprocos Virginis nundinaretur amores, suum divinissimæ Matri obtuliisse cor, sed sacra exomologesi ab omni peccati nævo expiatum, tot pœnitentiæ lacrymis elutum, longè gratissimum utique illi Cælorum

Reginæ tributum ! quæ nil ardentiùs prenſat, quàm illud: *Fili ! præbe mihi cor tuum*. Ferunt, Biſuntinos Sodales olim in pervigilio Virginis Annuntiatæ Societatis Jeſu templum ſupplicatum ingreſſos, coram Virginis imagine, vota ſua nuncupâſſe, atque in amoris pignus cum funalibus candidis, votiváque tabula cor argenteum pretio & arte viſendum depoſuiſſe ſic inſcriptum: *Congregatio Annuntiatæ Virginis hanc puro ex corde puram cordis effigiem purioris obſervantiæ ergò, puriſſimæ Virgini vovet, dicat, dedicat*. O corda! O Domina! non tam argento quàm cælo inſculpenda! Placuerit procul dubio magnopere puritatis Matri cor hoc argenteum; ſed non minùs cor dilecti Joannis ſui Sodalis noſtri, utpote non mortuum, ſed vivum; non árte fabrefactum, ſed ſpiritu ab omni nævo expurgatum, omni argento nitidius.

Erat etiam illi ſolenne in ejusmodi Feſtorum pervigiliis aliquod exercere opus humilitatis. Equidem non ignoro, aliquorum obedientiam haud levem ſubin pati difficultatem, quando vilia & abjecta imperantur officia, qualia ſunt ædituum agere, geſtare labara, circumferre fercula, à ſordibus expurgare Marianum Odeum. Verùm Joanni noſtro longè graviùs acciderat, quando ab ejuſmodi functionibus ejus manus Præſidis imperium arcebat. Inciderat aliquando in Virginis pervigilio in Sodales Oratorium everrentes. Rogat illico adſtantem Præſidem, ut ſibi liceat in operis ſocietatem venire. Quod cùm negatum eſſet, paruit ille quidem, ſed mœſtiſſimus abiit.

Ve-

Verùm cùm propediem revocato licentia facta esset, statim labori se accinxit, & cùm nulla superesset amplius scopa, ad proximas Nobilis cujusdam ædes evolavit, eáque emendicatâ in Odeum revolans sociam junxit operam ea animi alacritate, ut præ gaudio gestire videretur.

Nec tantùm intra Mariani Odei angustias hic ejus fervor se contineri passus est, sed etiam quando solemnius quoddam Virginis festum inciderat, in aliis urbis Basilicis everrendis suam ædituis navabat operam. Hinc accidit, ut, cùm semel pia ipsum inter & æditimum coorta esset contentio, eò quòd hic suam scopam, quam habebat unicam, Joanni nostro cedere nollet, iste ad proximas iterum ædes properârit, mutuatáque scopâ lætus rediens, in partem operis venerit: Solus tamen sordes palliô suô exceptas exportare voluit in publicam plateam, nil illud pro more suo veritus: *quid dicent homines?*

Videtur mihi Tridentinus hic Sodalis in ea fuisse sententia, quam 'Mediolanensis ille è prima nobilitate juvenis sibi persuasissimam habuit. Erat hic sub ipsam horam, qua ad scholas frequentes auditores conveniunt, Gymnasium atriúmque inter alios scoparios everrere solitus, & cùm aliquando ipso illo tempore Sodalitii locum expurgâsset, holoserico palliô purgamenta efferens, spectantes Sodales cavillabantur, quod præ verecundia sordes palliô occultaret: *impudens sim*, inquit, *si famulatum Marianum erubescendum mihi esse ducam*. Ac postea cùm ad idem opus faciendum rediisset, rejectô palliô & pileô in atrium

clam

clara die ramenta deportavit. Hunc ipsissimum Cælestis Sapientiæ aphorismum altè in animo defixum gerebat Joannes noster : in Sodalitio jam dudum famulari didicerat ab illa, quæ se *ancillam Domini* compellavit. Nôrat, neminem debere se Sodalem Beatissimæ Virginis dicere, qui humilis non est. Quid enim Ancillæ servus supra Dominam se elevet? Multò minùs se nominet Matris Divinæ filium, qui sequitur novercæ Evæ exemplum, Diis ut æquaretur, affectantis.

Habent insuper & suas celebritates & illecebras Sodales, quibus ad pietatem, séque, suósque spectatores alliciant : animi enim mortalium nulla re citiùs, quám satietate, virtutis tractationem fastidiunt. Hinc solemni ritu ad Divorum ædes supplicatum eunt, insigni cultu ferias statas agunt, pulchro apparatu ludos sacros faciunt, cùm alii profanis inhiant.

Quid hac in parte noster Sodalis? Primò quidem, ut ejusmodi supplicationes ad honorem Virginis instituendæ quàm solemnissimè haberentur, omnem opem, & industriam suam contulerat Varias vestes & ornatus unde unde poterat, & procurabat, & emendicabat: Pro Benefactoribus verò, qui talia commodabant, varias preces se dicturum pollicebatur, quas etiam diligentissimè persolvit. Quæ res, cùm palàm esset nota, non modico fuit ejusmodi benefactoribus, & incitamento, & solatio plurimùm spei in tam sancti, ut vocabant, adolescentis pro se precibus collocantibus. Et erant etiam in Urbe multi alii,

imb

qui ſuas ei neceſſitates commendabant, rati nihil non per ejus preces à Deo ſe poſſe impetrare.

In more poſitum erat iis temporibus Congretioni huic noſtræ ſingulis annis ſemel tempore æſtivo ſupplicabundum agmen educere Civizanium ad Virginem Thaumaturgam, quæ peregrinatio ſummo mane cœpta ob loci diſtantiam in totam reliquam diem protrahebatur: ſupplicationem, cùm per urbem incederet, noſter Sodalis eâ oculorum totiúſque corporis modeſtia comitabatur, ut Divi Franciſci tacitâ modeſtiâ concionantis ſpeciem ſuæ ipſe menti ſimul & ſpectatorum oculis obiicere ſoleret.

Extra urbis portas ſoluto ordine, dum turmatim reliquum iter per montem proſequebantur cæteri, hic perpetuò, vel de rebus ſpiritualibus ſermonem inſerebat, vel alta voce, ſi quem natus erat ſocium, Roſarium cum eo recitabat, oculis ita in terram defixis, ut nunquam eos in cœlum ſuſtuliſſe fuerit notatus.

Ad Baſilicam demum ubi perventum eſt, quantis gaudiis fuerit perfuſus, quantóque amore ſuccenſus, præſertim ubi ſub ſacro cantato ſacratiſſima in altum levabatur Hoſtia, ſat verbis ipſe exprimere non poterat. Aliis ad reficiendas vires, prandiúmque capiendum dilapſis, ille ſacrô refectus epulô totum illud tempus, uſquedum horis pomeridianis iterum in urbem ſupplicabundum agmen viam relegeret, in templo coram Virginis Thaumaturgæ ara hærens, & quidem flexis genibus inter varia pietatis exercitia exegit.

In reditu optimo cuidam Sodali se coniungens de rebus spiritualibus sermonem suum prosequebatur : sed quæres : quando prandium sumpsit, & fractas hac peregrinatione refecit vires ? ieiunus domum rediit, licet cibariis fructibúsque extinguendæ siti iis in caloribus quam maximè urgenti abunde instructus domô fuerit egressus. An cùm Evangelico illo Viatore in latrones incidit ? Minimè, sed in mendicos vias illas obsidentes, qui ipsum expoliaverunt omnibus ita, ut nequidem unicô gustatô bolô tota die omnino ieiunus in urbem remeârit. Verùm cum Angelo illo Tobiæ peregrinantis comite dicere fors poterat hic angelicis moribus adolescens : *ego cibo invisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor*, utpote cuius mens perenni cœlestium consolationum dulcedine pascebatur. Quàm longè aliter hodie eiusmodi peregrinationes à non paucis instituuntur, cùm non à mendicis, sed à cauponis peculiô exspolientur ; nec ieiuni domum redeant, sed mustô pleni, & subin prægravati novâ peccatorum Sarcinâ, ut verissimum illud comprobetur : *qui multùm peregrinantur, rarò sanctificantur*.

Hanc Virginem Civizanensem aliquoties intra annum privata devotione invisebat : audi, qua ratione. *Cantabam per viam*, scribit ipsemet, *Litanias B. Virginis statim, ac videbam templum, in genua provolutus Eandem salutabam : in ingressu salutabam quoque Angelum Custodem templi. Postea flectebam ad aram B. Virginis magnaque inundante lætitia suavissimè flebam. Sub sacro*

ad

ad S. Synaxim accedens tanto in admirabilem Reginam desiderio ferebar, ut oculos ab illius conspectu neutiquam removere potuerim; sed immobilis hæserim etiam per quadrantem horæ, adeòque inflammarer, ut tota facies rubesceret. Nihil audiebam; nihil videbam, nisi solam B. Virginem & cùm semel antea malè me haberem, totius mali memoria amissa tandem melius me habere cæpi. Mansissem ibi diebus integris; adeò cœlestibus deliciis inundabar. Et cùm ibidem diu flexissem, inde me avocanti respondi: quæso, permitte me hic animam meam pascere. Hæc ille.

Qua quidem ratione instituendi peregrinationes, celebrandi Mariana festa luculenter ostendit, quàm procul abfuerit ab illa querimonia Hugonis Cardinalis lamentantis super illa verba. *Invenerunt illum in templo* Luc. 2. Amisit B. Virgo Christum, cùm ad festum Paschale celebrandum Jerosolymam venit. In festo amittitur Christus: in festo crucifigitur. Festa nobis Christum sæpè eripiunt.

§ II.

Quomodo alias Solemnitates exegerit?

PRæter Solemnitates Marianas alias quoque habuit, quas Solemni cum cultu celebrabat: nimirum festum Pentecostes, & S. Josephi. En! quid de utroque scribat: ad Adventum Spiritûs Sancti singulariter me præparabam. Die Jovis festum antecedente accessi Sacram Synaxim: idem

præ-

præstiti cum licentia Confessarii illis tribus diebus festivis. In Vigilia Pentecostes à prandio usque ad cœnam nunquam cubiculô exivi: Sed ibi Spiritualibus vacavi rebus, librorùmque lectioni, vix unicum verbulum locutus: Modum accipiendi Spiritum Sanctum judicavi hunc optimum; ut ad exemplum Apostolorum me domi continerem, ac orationibus & examinandæ conscientiæ ferventiùs ac alias instarem: pœnitentias, disciplinas, cilicia crebriùs adhiberem. Sic ille.

An non redivivum hic cernis Zelum antiquorum illorum Christianorum, de quibus act. 41. legitur: *erant perseverantes in Doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis Panis, & orationis*. Primò imitabatur eos in percipienda Doctrina Apostolorum, quàm quando non poterat, ex ore docentis, hauriebat eam ex lectione libri pii, id quod omnibus Sodalibus incumberet diebus hisce feriatis, nec enim aliud tempus sacræ huic exercitationi opportunius: *Sapientiam scribe in tempore vacuitatis* Eccl. 38. quibus verbis Salomon omnibus persvasissimum esse vult, dies feriatos, dies esse audiendis prælectionibus sublimis illius Scientiæ longè aptissimos, quam melius assequi non datur, quàm dum â negotiis & curis rerum caducarum otium conceditur *in tempore vacuitatis*, cùm animus noster, qua est facultatum suarum imbecilitate, pluribus simul rebus intendere non possit.

Secundò: imitabatur veterum illorum christianorum Zelum & in communicatione fractionis panis, id est Eucharistiæ, ad divinam hanc men-

menſam crebriùs accumbendo: hic enim inter præcipuos dies feſtos agendi ritus eſt, conviviis illos ſolemniores reddere. O ſi ſciremus, quale, quantúmque donum ſit, quod in divino hoc Epulo à Deo offertur! Quis unquam ſtultas illas in voces prorumperet: *rariùs Divino pane veſcor, ne me alii digito monſtrent*. Quæ hæc loquendi ratio? Sicubi urſus in favum melis inciderit, tanta aviditate in illum fertur, ut tota apum agmina; aculeis in ipſum ſuis armata, facere non poſſint, ut inventa dulcedine non fruatur. Noſter Mariophilus etſi linguæ eorum, qui illum ſannis, ac dicteriis traducere erant ſoliti, non linguæ ſuiſſent, ſed gladii, non formidabat eorum vulnera, quia guſtu perceperat ſuavitatem cibi Euchariſtici, & fructum inexplicabilem, quem collegerat anima ejus, ex cibo hoc crebriùs uſurpato: juxta illud: *Comede Fili mel; quoniam bonum eſt*. Prov. 24.

Tertiò denique non aliud chriſtiani illi Sancti agebant diutiùs, quàm ut orarent: *erant perſeverantes in oratione*. Erat hoc negotium ejus diei tam proprium, ut Conſtantinus Imperator diem Dominicum orationis diem appellaret. Et verò oratio inter præcipuos religionis, & proprios actus unus eſt, quo homo magnum Deo honorem habet: orando enim ſe illi ſubjicit, fatetúrque, ſe cô ſummè indigere, & eum omnis boni auctorem agnoſcere, juxta illud Pſalmiſtæ: *invoca me, & honorificabis me*. Pſ. 49. In quo laudis genere Chriſtiani illi noſtrum Sodalem tam ſtrenuum ſui habuêre imitatorem; ut totum annum

num velut unum diem festùm celebraverit; cum ejus vita fuerit perpetua oratio, & oratio bona, utpote conjuncta cum jejunio.

Porrò Sponso huic Virginis cælesti & divino junxit terrenum illum S. Patriarcham Josephum, de quo ille in suis bonis operibus ita scribit: B. Josephum hunc in modum hoc mense colui. Ipso festo ejusdem confessus S. Synaxim accessi. Tria in ejusdem honorem audivi sacra: procuravi apparatum pro celebranda ejusdem festivitate. Tantum audito Sancti Josephi nomine oculi lacrymis manare cæperant. In pervigilio auditis Vesperis domum regressus domesticos omnes, ut in honorem S. Josephi aliquid orarent, hortatus sum: Vino, carnéque abstinui. Illa ipsa Vigilia rogatus semel ab aliquo puerulo, ut in humeros sublatum aliò asportarem, spopondi, tam diu me id facturum, quamdiu ipse *Pater & Ave* recitare in honorem S. Josephi perseveraturus esset: quam conditionem cùm acceptâsset, necesse fuit, facilè horam integram, illum portare tanta mea fatigatione, ut illam sequente adhuc die in humeris velut luxatis persentiscerem. Curavi insuper, ut coram illius imagine lampas accenderetur, coram qua humi prostratus unà cum aliis Litanias & formulam, qua illum in Patronum singularem elegeram, recitavi: & deinceps sive loquerer, sive scriberem Sacratissimis nominibus Jesu & Mariæ etiam S. Josephi nomen adjicere statui. Hæc ille.

Quia verò in hanc ipsissimam D. Josephi honoribus consecratam diem coincidit Tridenti ipsa

Maria-

Marianæ formulæ renovatio, præcipua Parthenii Sodalitii ſolemnitas, licèt toto aliàs anno ejus in Virginem amor, ac pietas ſingulari ſcintillaret affectu, hac tamen feſta luce totam vim ſuam, conatúmque exeruiſſe viſus eſt. Juxta regularum præſcriptum expiabat eo die peccata confeſſione à toto anno repetita ea ſpiritûs contentione, et cordis contritione, ut præcordia flagellaret ſuſpiriis, oculos fatigaret lacrymis.

Ea luce vix orta, cùm ſummo mane pro more comprecatio inciperet coram Deo Euchariſtico inſtituta, quam cæteri Sodales mutatis ſtationibus ín decem minimûm horas proſequuntur, iſte ferè totam coram exegit perpetuus Numinis adorator, ut perenni oratione eliqueſcentem animum in futurum præpararet holocauſtum.

Formulam Marianam arte ſua pictoria in cordis formam flammis coronati effigiatam, ſemel etiam proprio ſanguine, & quidem flexis genibus exaratam, velut Marianæ pietatis tributum offerebat ipſemet propriis manibus, ſuóſque Parthenii amoris ignes, non in ardente ſolùm cera, quàm dexterâ præferebat, ſed è corde, & devoto corporis habitu ſingulariter promicantes communi Conſodalium jungebat incendio, incrementô devotionis utique longè maximô.

Sed non minùs ejus devotionem exacuebant ſacri dies Paraſceves, & Theophoriæ Domini, quorum primus, uti erat dolorum, ſic alter gaudiorum illi feraciſſimus exſtitit. Die illa Veneris in memoriam revocante luctuoſiſſimam illam Dei immortalis in corpore mortali emorientis ca-

tastrophen, in perpetua cogitatione habuit acerbissimam Christi crucem, ejúsque toleratos pro hominum salute cruciatus. Peribat quodammodo sibi ipse; cùm amoris illecebras, quæ in cruento hoc sacrificio convenirent, secum perpenderet. Eousque tunc exarserat pius ejus in morientem è cruce Redemptorem affectus, ut immani diverberatione corpus jam debilitatum humi abjiceret, haud sanè molliter cubaturum: rem enim indignam existimabat, ut delicatè dormiat peccator; cùm hominum servator in duro crucis lectulo expansus gravissimè doleret: nec cibo, potúque tota illa die refocillari voluit, ubi Christum fele, & aceto potum vidit.

Licet aliàs, quidquid in vita acciderat molestius, Christi amore patientissimè ferret, ea tamen die omnes toto anno ab inimicis suis acceptas injurias in meditatione animo suo repræsentare, eásque ante Christi pedes deponere erat solitus, coram quo in genua provolutus, preces, lacrymásque fundens; itáne, inquiebat, mi Jesu! tantillas ego injurias tantus peccator non concoquam, dum tu, omnium maximè innocens, mei amore immani è cruce pendes suffixus? absit sub tam spinoso capite delicatum ego membrum sim. Condono ego ex animo, & ut tu quoque inimicis meis condones rogo, obsecróque. Genuinum perfectò Crucifixi discipulum, qui patiebatur, ut amaret, & amabat, ut pateretur.

Alibi ita pergit: Singulari etiam pietate me præparavi ad celebritatem Corporis Christi. Die

Mar-

Martis festum antecedente Eucharisticæ Mensæ accubui multis fusis lacrymis. Die Mercurii, & in Vigilia carne abstinui: his diebus semel jejunavi. Nunquam sine lacrymis hymnum Pange lingua recitavi: illum tamen, quando in frequentia hominum versabar, propter fletum non ausus fui recitare. Illis diebus, quantum licuit, me domi continui. Verbis exprimere vix possum, quo animi mei solatio ad hoc Sacramentum publicè expositum inviserem. Certè toto hoc tempore vix mihi tempus ad prandendum, vel cœnandum sumebam; adeò ægrè ab hoc sacro spectaculo avelli poteram. Cùm Sacerdotem viderem, qui S. Hostiam in sacrario erat repositurus in corde meo exclamabam: quæso, sine tantillum adhuc meum Dominum ibi commorari: sola recordatio huius pignoris amoris mihi lacrymas excutiebat. Tantus extitit meus dolor post transactam octavam Corporis Christi ut, dum in templo non videram amplius expositum Augustissimum Sacramentum, & mecum mente revolverem, qua cordis teneritudine illud elapsis diebus conspicere licuerit, quoties lubebat, uberrimum in fletum prorumperem. Hæc ille.

Et ex hoc dolore licebit metiri magnitudinem gaudii, consolationis, & cordis iubili, quod ei attulerit solemnissimum Theophoriæ Festum: Sunt enim dies Festi dies lætitiæ, sed in piis animis lætitiæ spiritualis, nullíque huius feraciores, quàm dictæ solemnitatis divinum convium, omnium dulcedinum voluptate abundans,

efficiénſque, ut dum in hac vita ſumus, terra nobis Cœlum fiat.

Hinc etiam enatam, credo, illam animi frontíſque hilaritatem, quam in noſtro Mariophilo commentarii conteſtantur his verbis: *hilaris fuit & hilaritatem ſummopere omnibus commendabat, dicebatque, malle ſe agere cum hilari licet minus ſpirituali, quàm cum melancholico, magis tamen ſpirituali.* Credo optimæ fuiſſe conſcientiæ; quia ſemper lætus erat: magna ars eſt ſcire gaudere, lætari in rebus peſſimis, materia eſt lacrymarum Ut ignis & aqua non cohærent; ita nemo carnales unà, & ſpirituales delicias guſtare ſe ſperet. Vis nunquam eſſe triſtis? ſemper bene vive.

CAPUT X.

REGULÆ UNDECIMÆ SYNOPSIS.

Sodales ægros ſuos conſodales inviſant.
2 *Funus ad ſepulturam comitentur, conſve-*
tiſque precibus proſequantur.

§ I.

Quam curam impenderit ægris Sodalibus?

ARduum Regula hæc præſcribit charitatis exercitium, curam ægrorum, curam funerum ſuorum Sodalium; arduum, inquam, exercitium; nam morbidorum, ægrorúmque cura moleſtiam non mediocrem ſecum apportat. Triſtis decumbentium aſpectus, gemitus, & querulosi ejulatus animum noſtrum contrahunt, & mærore ſimul involvunt; gravis deinde odor, & ſqualor triſtior ſordéſque, paulò delicatiorem ſtomachum facilè movent, nauſeámque pariunt; ut malis abſens, quàm præſens auxilium afferre: ac magnæ virtutis eſt, moleſtias morbi negligere, & afflicto ſuccurrere. Quo tamen in genere, ſi qua alia in re excelluit Joannes, ut majorem à parentibus expectare non poſſint, qui illius curam experti ſunt. Et profectò eius charitas

nunquam magis firma, quàm in infirmitate Sodalium, nunquam clariùs effulsit, quàm inter mortis umbras, nunquam vivacior, quàm inter funera.

Si vel ægrotare quemquam, vel iam mortuum intellexerat, in genua provolutus statim illum Deo commendabat, ut eò precibus priùs avolaret, quàm pedibus, quibus vel ægro felicem mortem impetraret, vel mortuo beatam vitam. Non modò ægrotantibus Sodalibus, sed nec ipsis quidem urbis Valetudinariis, atque Xenodochiis operam suam deesse patiebatur. Invisebat hæc identidem, ægros exuebat, pedes abluebat, lectulos componebat, cibos ministrabat, de Pœnitentiæ Sacramentis crudiebat, & ad dolores sedatè, & Christianè ferendos impensè hortabatur. Integros subin dies in hoc pietatis insumebat exercitio iam hunc, iam illum invisendo ægrum. Quando dies non sufficerat, addebat noctes. Duabus integris noctibus semel morituræ adstitit personæ Christi in crucem acti imaginem manu præferens, & ad ultimam luctam fortiter ineundam hortatus. Interim vix momentum temporis prætervolabat, quo non pii aliquid vel moribundo suggereret, vel adstantibus, licèt etiam inter hos numerarentur Sacerdotio insigniti. Et tamen fatebatur, nunquam breviores sibi fluxisse noctes. In quo quidem ille se genuinum Congregationis membrum esse luculenter ostendit. Observaveris non semel quanta alacritate, quàm admirabili promptitudine unum membrum unius corporis adiuvet alterum, si unum est læsum, ad opem ferendam

ad-

advolant cætera: ſiquid patitur unum, compatiuntur reliqua omnia. Si planta pedis transfigitur à ſpina, lingua petit opem, oculus ſe demittit, manus diſtinetur in applicando remedio. Hinc, cùm membrum ſe ſciret corporis hujus myſtici: Conſodales omnes eſſe Fílios magnæ illius Matris B. V. M.; omnes in eadem domo uniùs Congregationis educatos, fieri non poterat, ut commiſeratione non tangeretur, & cum Apoſtolo non exclamaret: *quis infirmatur, & ego non infirmor?*

Poſtulantibus ægris vitas ſanctorum integras horas prælegebat non minore decumbentium conſolatione, quàm adſtantium ædificatione: Quam ſacram prælectionem interpoſito ſubin ingenioſo lepore tam ſcitè condire nôrat, ut ægri magnoperè ſe exinde recreari perſentiſcerent, ſublevaríque, ſi non à corporis, ſaltem animi ægritudine: nam, ut benè pronuntiavit Senecca: *Nihil æquè ægrum reficit, atque adjuvat, quàm amicorum affectus.*

Cùm autem omnes allocutione, & lectione adjuvaret, paſſim ab omnibus advocabatur; aderat, advigilabat. Adſtabat etiam ad ægrotantium conſolationem, etiamſi morbi eſſent periculoſiſſimi; cúmque, ne tam propè accederet, ab adſtantibus admoneretur, reponebat: *Charitas nihil metuit: millies ponam vitam.* En! ad quem gradum ejus aſcenderit charitas. Majorem charitatem nemo habet, quàm ut quis animam ponat pro amicis ſuis. Accidit, ut cùm omnes mira de hujus Adoleſcentis ſanctitate occupâſſet

opinio, venerationis ergò ab ægrotis rogaretur, ut signô Crucis cibos muniret; quod ille officium constanter detrectavit, asserens: Christi in Crucem affixi imaginem arriperent, eâdémque cibos signarent.

Verùm major erat ejus charitas, quàm ut unius Urbis Tridentinæ mœnibus se se includi pateretur. Intellexerat ægrotare pauperculum quemdam Sodalem in oppidulo à civitate milliari Italico dissito. Evolat illicò, invisit, consolatur. Et cùm advertisset, ægrum non tam cum morbo, quàm cum paupertate conflictari, singulis diebus recreationum mensuram vini cum libra carnis à se in macello coëmpta, unde jusculum parari posset, propriis manibus attulit, ægro Sodale vix verba reperiente, quæ tantæ charitati gratus reponeret. Sed longè in alium remuneratorem hic zelus respiciebat. De S. Comite Elzeario commemorant, eum, cùm frequenter visitaret infirmos, leprosorum plagas lavaret, hoc charitatis opus tanto præstitisse cum affectu, ac si vidisset ipsum Christum. Hunc, hunc in infirmo intuebatur Joannes. Nec immerito: probè enim expenderat illa in supremo Judicii die Judicis verba: non dicet Christus: Ego vos invito ad possidendum regnum, quia visitâstis infirmos; sed quia *infirmus eram, & visitastis me*: Illum commiserationis affectum, quem infirmo ostendimus; illud incommodum, cui nos subjicimus ad eundem consolandum, Christus agnoscet ùt sibi præstitum. *Quod enim uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

Aſt longè major ipſum angebat ſolicitudo, ut ægris Sodalibus de cæleſti proſpiceretur cibo, quàm terreſtri. Sæpiùs pro ægrotis, quando S. Euchariſtiam ſumere non poterant, ipſemet accedebat, & ad eorundem intentionem, ac conſolationem eandem offerebat. Ubi campanæ pulſum, quo S. Viatici efferendi dabatur ſignum, inaudierat, quando id ſtudiorum ratio permittebat, primus advolabat, licèt ultimus ſemper ſupplicationis agmen clauderet, quem locum ubique, velut ſibi proprium, ſua illi humilitas fecerat. Accidit, ut ad ægrum ſacrum deferretur Viaticum. Propediem advolat: rogat ædituum, ut ſibi candelam porrigeret: quam impetratam non tam manu geſtans, quàm lætitiâ geſtiens præferebat: Quo ſuo cereo Deo quidem Euchariſtico piè præluxit, ſed longè magìs exemplô Sodalibus, oſtenditque, eos, qui ſe profitentur ſervos perpetuos Matris, quantoperè deceat, ſi filium quoque comitentur ſuis religionis obſequiis.

§. II.

Quam curam geſſerit Funeris Sodalium?

VUlt inſuper Regula, ut Sodalis charitas ultra vitæ mortiſque confinia excurrat, & cui ægro, morientíque ſedulus adſtitiſti, abeuntem è vivis precibus quoque, luſtricíſque ſacris proſequa-

ſequaris. Quid hic noſter Mariophilus? Vix æger & loqui, & vivere deſierat, cùm iſte dicer-exorſus exhortationem tam fervidam ad circumſtantes habuit de vanitate mundi, ut magnus plerumque ſecutus ſit animorum motus. Præclarus ſanè orator! qui tam ſcitè nôrat captare tempus, & fortiſſimum ducere argumentum ab adjunctis. Sed quo Roſtro uſus eſt hic junior Tullius? nôris illud: lectus morientis eſt cathedra docentis. Ferunt Demoſthenem, omnium facilè Oratorum Græciæ Principem, ut linguam, os, manus, reliquámque corporis actionem ad perfecti Oratoris ideam efformaret, ſpeculô fuiſſe uſum, coram quo identidem ſe ſe exercebat. Demoſthenem imitatus junior hic orator ſpeculô uſus eſt, nempe cadavere, quod eſt vivum quoddam vanitatis humanæ ſpeculum: Uti reipſa oſtendit Concionator quiſpiam Gallicus, Pariſios ad habendas ibidem conciones profectus, quando Matronæ cuidam magìs ſpectatæ formæ, quàm vitæ, nobili ùt ſanguine, ſic & libidine, importunè expoſcenti, ut redux Pariſinum ſibi afferret ſpeculum, calvariam ciſtulæ incluſam attulit, exhibuítque. Hoc ſpeculum ſanè eſt præſtantiſſimus Oratorum formator. Illud cadaver licèt elinguc, eſt tamen loquax: multa dicit, dum nihil dicit: licèt taciturnum, eſt tamen verboſum: ſuo ſilentio altum clamat: ſine lingua docet, ſine voce monet: ſine verbis movet: dum nil pronùntiat, multa tibi prænuntiat. O quoties hujus ſpeculi aſpectus fuit aſpicientium ſalus! ò quoties mortis cogitatio, fuit novi hominis generatio!

Et

Et hæc eſt præcipua cauſa, cur regula hæc tantoperè inculcet iſtiuſmodi Chriſtianæ charitatis exercitia. Non tam reſpicit ægrorum, defunctorúmque ſubſidium, quàm vivorum in via ſalutis præſidium. Compellit te intrare hanc ſanctitatis ſcholam, ut ad ægri conſpectum animô convaleſcas, & ad mortui cadaver ſpiritu reviviſcas. Felix neceſſitas, quæ cogit ad meliora!

Ab hoc pietatis officio ad aliud tranſiit. Pro efferendo ſuis humeris funere ſponte ſe ſe Præſidi offerebat, & quo pauperior erat Sodalis cuius funus curandum, eò ardentiùs prenſabat officium. Scribit, cùm aliquando, dum Sodalis funus ſepulchro inferretur, in cœmeterio conſiſteret, mente cæleſtis gloriæ conſideratione immerſa, dum fortuitò oculos in cælum attolleret, ſe ea animi dulcedine fuiſſe delibutum, ut ſupernorum illorum gaudiorum quaſi præguſtum ſenſerit, indéque domum reverſum, illo animi affectu, dulcedinéque perſeverante, nil aliud potuiſſe, loqui cum ſociis, niſi de cæleſti gloria. Res profectò mira! Alij animum mœſto horrore perculſum è cœmeterio domum referunt, & ideò adire horrent, hæcque pietatis Chriſtianæ exercitia negligunt. Sed fortaſſis eo ſunt de numero, qui mori timent: qui mortem conſiderant non ut terminum laborum, ſed peccatorum. Juxta regulam S. Joannis Climaci: qui bonus eſt Chriſtianus, mortem non timet; ſi ſanctus, eam ſuſpirat.

Præſcribit inſuper hæc regula in ſubſidium defunctorum ſtata ſuffragia, quæ num perſolverit

accu-

accuratè, ex eiuſdem verbis colliges, quæ hic lubet attexere. Scribit ille.

Libentiſſime pro defunctis orabam. Interdum dum tormenta eorundem perpenderem, adeò commovebar; ut noctu ſubin exclamarim: Venite animæ, & petite, ſiqua re vobis opus eſt, me Patrem veſtrum exhibeo. Aliquando pro defuncto orans tanto fervore fui correptus, ut ad Chriſtum crucifixum accurrens exclamarim. Domine: mitte me in ignem, & ipſum libera, aliiſque precibus uſus ſum, ut totus ſudore manarem. Ita orga eas afficiebar, ut ſæpè dum earum tormenta meditarer, manantibus oculis exclamarim: ſum contentus, omnia tormenta pro illis pati modò liberentur. Hæc ille.

Voluit, ut afflictiſſimæ hæ animæ illum agnoſcerent ùt patrem: hinc etiam eas hæredes ſcripſit; nam ad illas piacularibus à flammis redimendas totum ſe, ſuáque omnia bona opera in ſatisfactionem obtulerat: quæ quidem profuſiſſima charitas quantoperè Divinis arriſerit oculis, ex verbis D. Auguſtini collige: *non eſt quod ità faciat Deo amabiles, quàm facere miſericordiam.* Nec immeritò: quia ad Dei ſimilitudinem nos quàm maximè transfert, qui dicitur *Deus miſericordiarum, & Deus totius conſolationis.*

Imitare & tu, Sodalis Parthenie! hunc conſodalem tuum, & ſi nolis te, tuáque opera omnia in defunctorum ſubſidium devovere, ſaltem ſacris luſtricis, precibúſque piacularibus præſcriptis eos adjuva, quem quidem morem idcircò ſervabis diligentius, ſi cogitaveris, multùm aliquan-

quando tibi profuturas eaſdem preces, ſi illas pro aliis accuratè perſolveris: fraudi verò fore, ſi eas neglexeris.

CAPUT XI.

REGULÆ DUODECIMÆ SYNOPSIS

Quivis curet ſemper, ubicunque fuerit, ſe verum filium Sodalitatis oſtendere, & morum integritate, exemploque omnes ædificare.

VUlt Regula hæc, ut Sodalis, ubicunque locorum eum verſari contigerit ſit lucerna quædam: ſed lucerna ardens & lucens: lucens exemplô, ardens charitate. Antiquis illis Romanis olim magna cura inerat, ut ante majorum ſuorum cineres in Catacumbis alerentur famoſi illi ignes perpetui. Melius curâſſet cæca gentilitas, ut defunctorum manibus luceret lux perpetua, & æternitas temporum. Regula iubet, ut & tu non tam ante cineres mortuorum, quàm oculos vivorum conſodalium tuorum lampas quædam ſis, quæ ignes perpetuos nutriat non diuturnitate temporis, non tentationum, tribulationúmve, vel ventis, vel aquis extinguendos, quò minùs invariabili morum integritate omnibus præluceas, qualem ſemper in Joanne de Schultaus ſuſpexit Sodalitium noſtrum Tridentinum.

In Congregationis Diario ad annum 1636. hæc verba legere eſt: *Hodie unanimi omnium Sodalium*

lium ſuffragio in Congregationis Præfectum electus eſt Prænobilis Juvenis Joannes Baptiſta à Schultbaus. Ad hoc ferendum ſuffragium, cùm eo tempore Minor Congregatio nondum eſſet ſeparata à Majore, concurrêre prima in utroque foro Jnclytæ Hujus Urbis Capita Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Cathedralis Eccleſiæ Canonici, Parochi, Presbyteri; ex Illuſtriſſimo hujate Senatu præcipua & à nobilitate generis, & Juris utriuſque ſcientia conſpicua Capita. Sed miror, quod tot oculi in electione hac non reſpexerint ad illum Romanis & Græcis adeò familiarem Canonem: *Juvenes ad regendum ineptos arcendos à faſcibus, & præfecturis*. Erat Joannes adhuc juvenis, erat adoleſcens inter ipſos adhuc hærens Scholaſticos Gymnaſii pulveres. Certè Juvenibus, quod rerum uſu careant, non facilè committendam eſſe rerum publicarum adminiſtrationem tota cenſuit antiquitas; nam quod dicebat Xenophon: ſicut novi Citharædi multas perdunt Citharas, ſic juvenes rempublicam ſæpè evertunt. Hinc ſapientes illi Veteres miſerabilem Phaëtontis ruinam, velut ſaluberrimæ doctrinæ ſynopſin poſteris reliquêre; ut diſcerent Reipublicæ momenta à juvenibus imperitè adminiſtratum iri: Juvenile vitium eſt regere non poſſe impetum, ajebat Seneca.

Verùm à Sapientiſſimis his Tridentinis Electoribus mihi reponi videor. Se ſuo ſuffragio non reſpexiſſe ad ætatem, ſed in hoc Juvene ad viam viri in adoleſcentia, ad Juvenem quidem annis, ſed grandævum jam virtute, & meritis. Sit ſanè

nè adoleſcentia inepta ad faſces: hæc tamen ineptitudo potiſſimùm ex indomitis, & effrænatis affectibus oritur, qui, ſi in provectis quoque dominantur, æquè illos ad regimen inhabiles facient. Et ſanè, ſicut periculoſum eſt juvenibus, & rerum imperitis gubernationis jura committere: Sic qui vitiis juvenilibus, hoc eſt, cupiditate, avaritia, timore, iracundia, amoribus, cæteriſque inconſultis affectionibus laborant, aliis præeſſe non poſſunt, niſi fortè quis velit Phaëtontis ruinas ad ſua tempora revocare. Optima gubernandi ars, gubernare ſe ipſum.

In quo quidem genere quam perfectum ſui, ſuarúmque paſſionum tot victoriis, & triumphis nactus ſit dominium Joannes noſter, hìc non attinet commemorare. Totus liber id abundè loquitur. Profectò, ſi juxta eruditum quondam Pontificem Syneſium, illud primarium ac ſummè regium eſt, ſui ipſius regem eſſe, mentémque domeſticæ bellluæ; iram puta, quaſi moderatricem præficere; Si regium, inquam, eſt iram perdomuiſſe, quantò regalius erit cæteras noxias affectiones ſub jugum miſiſſe, uti in Joanne noſtro vidimus, qui Mariani ſtudii curſum emenſus, viam quot paſſibus tot ſignavit ſui victoriis, digniſſimus proin, cui Veſulanus Vates illud accinat

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quàm ſi Lybiam remotis
Gadibus jungas, & uterque Poenus
Serviat uni.

Quare non poſſum non ſuſpicere & mirari Sapientiſſimam hanc, & unanimem tot Illuſtrium,

do-

doctiſſimorúmque Sodalium electionem, quæ ſupra Congregationis candelabrum lucernam poſuit abſolutiſſimo virtutum omnium exemplô tam potenter prælucentem, in qua & obſervare erat vivam quandam Marianarum legum epitomen, omnigenam virtutem nobilitati junctam, & *in illa* tenera ætate ſuſpiciendam omnibus, ac admirandam. Non poſſum, inquam, non magnoperè Mariani hujus Conſilii in hac electione laudare, & prædicare ſapientiam, & æquitatem, quod ipſo facto declarare voluerit, eum aptiſſimum ad regendos alios, qui ſe ipſum priùs regere didiciſſet; qui affectiones ad amuſſim rationis ordinâſſet, hunc ad clavum ſedere, hunc gubernare oportere.

Scio equidem illud veritatis indubitatæ oraculum: *Væ tibi terra, cujus Rex puer eſt.* Eccleſ. 10. Sed ibi non ætas à ſceptro excluditur, ſed ætatis vitia in cenſuram vocantur: *Senectus enim venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata: Cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Sap. 4.

Præcipit præterea hæc Regula, ut diſceſſurus quis à Congregatione litteras patentes poſcat, ut ab aliis quoque Sodalitiis, quò ſe fortè collaturus eſt; tanquam unus è Sodalibus recipiatur. Cùm Neoelectus noſter Præfectus officiô ſuò præclariſſimè functus Romam diſceſſerit, cujus tenoris ſecum teſtimonia attulerit, neſcio; Illud haud gravatè mihi imaginor, quòd ubi Roma vitæ tenorem inſpexerit, facilè intellexerit, quàm nobilis palmes ſibi excreverit in Tridentino hoc, &

Maria-

Mariano Vineto, cujus fructus honoris, & honestatis. Optimum testimonium est, cui sigillum impressit vita immaculata. Non de nota meliore velim æstimes illa testimonia, quæ magnifica de te verbis dicunt, si tu moribus contradicas.

§. II.

Quâ Mariana arserit charitate?

NOn tantùm lucens erat Mariana hæc nostra lucerna, sed & ardens, ardens Charitate, ardens dilectione præsertim illius Virginis, supra cujus candelabrum erat posita. Ut officij dignitate eminuit, sic quoque Mariana dilectione. Præcipua inter virtutes, quæ eos ornant, qui præsunt, jure censetur liberalitas, & munificentia, quam ita sibi cordi habuit Joannes, ut propositum fecerit firmissimum, nulli mortalium negandi gratiam, favorem, obsequium, si nomine B. Virginis à se expetereretur. Quod quidem decretum quot, quantáque amplectatur simul, ad quam ardua, multipliciáque charitatis obsequia se se exporrigat, quis est, qui non videt? In nuce continet Iliadem. Hinc haud immeritò colliges, quanti roboris, quanti ponderis fuerint Joannis nostri preces ad Virginem fusæ. Iste nil negare poterat, quod nomine Virginis rogabatur: quid illa negârit, quando vicissim ab illo quid expetebatur? Munificentissima est

Maria, liberalitate se vinci non sinit, non utique Mater à filio, non Domina à servo, & quidem à filio tam obsequioso, à servulo tam devoto? *Sicut Maris profunditas, sic nec Mariæ liberalitas potest exhauriri*, inquiebat S. Richardus.

B. Virginem non alio nomine compellare erat solitus, quam *Matris*, identidem repetere solitus: *Mater mea hoc vult, Mater mea hoc jubet: obsequendum est.* Miraberis hìc, cur Mariam suam Matrem, se verò ut priùs dictum, Virginis nominaret mancipium? Quæ hæc correlativa? *Mater, & mancipium?* Fateor, correlativa hæc non sunt in Philosophico Athenæo, benè tamen in Mariano Odeo, in schola amoris: Ex titulo Matris cognoscis, quòd Mariam ut Matrem filiali amore dilexerit: ex titulo mancipij, quam servitutem servierit, nempe Virginis gloriæ ex asse mancipatam.

Et certè, uti tenero sensu Virginem appellare erat solitus suam Parentem, ita erga Hanc prorsus animum induerat filii. Prodebat sermone, ubi cor ejus, ubi thesaurus esset: Nihil enim ipsi antiquius, nihil jucundius, quàm frequenter de Virginis laudibus colloquia miscere, quæ inter tantis sæpè affluebat solatiis, ut sola Mariani nominis svavitas lacrymas ipsi exprimeret, liquidos sui in Matrem amoris testes. Venerabile Mariæ nomen, quod intimis ferebat medullis, in ore frequenter habuit, ídque non temere, & linguæ labentis vitiô, sed uti Mellifluus Doctor solebat, interiore mentis jubilô, gaudióque pronuntiabat genuinus hic, si quisquam alius Mariæ filius. Hujus in amorem tota mentis con-

tentione ferebatur ſemper diu, noctúque in id unum intentus, qui Matris ſuæ favores eblandiretur, & ſuis in hanc ſtudiis æmulos omnes longis paſſibus anteiret: quamquam ſi & eos concertare propiùs, vel legiſſet, vel audiviſſet, tunc inſvetis efferri lætitiis, ínque voces, ínque laudes reſolvi, quo non eſt aliud luculentius amoris indicium. Sed lubeat ipſummet ſua amoris ſenſa exprimentem audire.

Amavi B. Virginem ex toto corde, anima, & viribus. Ejuſdem officium ſapiſſimè recitabam: imò & devotis lacrymis libellum interdum aſpergebam, cogitans me illud recitare cum B. Virgine, quod præſtabam tanta animi collectione: ut & pectus gaudiis perfunderetur, & cor intus ſaltitaret. Interdum adeò amore in eam rapiebar, ut immobilis per aliquod temporis ſpatium hærerem, atque totus illius deſiderio inebriatus, actus amoris ardentiſſimos exercerem. Singulis horis me illis commendabam, & eandem ad mortis articulum invitabam. Sæpiùs me illi ſolenniter conſecrabam. Sacrum de illa audiebam ſingulari cum devotione. Per Angelum meum Cuſtodem meas illi preces offerebam. Interdum quam manu geſtabam imaginem B. Virginis, guttis ex oculis cadentibus madefaciebam. Solitus etiam eram, quando ante Virginis iconem domeſticam ſtabam inclinato capite, flexis genibus, & ter dicta ſalutatione angelica benedictionem petere dicendo: nos cum prole pia benedicat Virgo Maria. Hæc ille.

Porro ne animo dulce illud nomen Maria excideret, quinque quotidie ſibi dicendos pſalmos

dilegit, quibus initium optimi ominis literæ ex eodem ſacroſancto Nomine dederunt. *Magnificat. Ad Dominum cùm tribularer. Retribue ſervo tuo. In convertendo. Ad te levavi.* Quoties igitur hos decurrebat, Mariam oculi legebant, aures bibebant, lingua ſonabat, cor ſuſpirabat.

Obſervatus etiam eſt, cùm tam intra, quàm extra Urbem frequentes proſtent Deiparæ imagines, ac ſigna, eorum nullum inſalutatum præteriiſſe. Venerabatur autem aperto capite, ſalutatione Angelica ſemel recitata, mira modeſtiſſimi oris ſuavitate, ſive ſol ureret, ſive pluvia caderet, non omittebat. Idem cùm in Virginis æde *Maria Major* dicta ante Virginis iconem procubuiſſet, tunc lacrymis, quibus dulciſſimè fluentibus ſinum opplebat, pro animi ſenſu liberè indulgens, diutiſſimè Divina contemplabatur. Sic in Virginis cultu, ac nomine totus acquieſcebat; ubi enim major animorum quies, quàm ubi ipſe quievit Deus?

Laudes Litaneuticas bis quotidie, & quidem expanſis brachiis recitabat: diebus verò Sabbatinis aſſiſtebat iiſdem pro more cantari ſolitis tanto animi fervore, ut cùm vix organi pulſus auditus eſſet, in copioſum fletum ſeſe effunderet. Subin eo tempore B. Virginis, cæterorúmque Sanctorum gloriam meditatus, cæleſtibus adeò recreabatur gaudiis, ut iis finitis poſtmodum intra ſemet diceret: *Nonne in Cœlo antea fueram? Ah Deus! ſi hæc dulcedo illius tantummodò guttula eſt, quid erit mare illud immenſum in Cœlis?*

Joan-

Joanni noſtro etiam ſolenne erat Marianas ſtatuas, imagines, ſui Muſæi altariolum exornare, & inſpergere floribus ac ſertis coronare juxta dilectæ ſuæ Sponſæ votum : *fulcite me floribus.* Et ſanè quæ dignior his hortorum ornamentis, quàm hortus ille omnibus Virtutum odoramentis conſitus ; de quo S. Bernardus . *Hortus deliciarum nobis ſacratiſſimus tuus uterus, ò Maria : quia ex eo multiplices gaudii flores colligimus, quoties mente recolimus , quàm magna multitudo dulcedinis toti orbi inde refulſit. Verè paradiſus Dei tu es ; quia lignum vitæ inde protuliſti.* Quàm vellem, ut ad hoc exemplum reſpicerent illi Sodales, qui non Virginem, ſed Venerem ſecuti, identidem illud ingeminant : *coronemus nos roſis.* Roſis, inquam, quas cæcus ille *puer* inter colloquia ſpargit; quas *Bacchus* inter compotatores ebriæ menſæ inſternit; quas *petulantia* in oculis gerit; quas *impudentia* ad pudorem expugnandum offert. Quàm vereor, ne roſæ hæ ſpinas poſt ſe relinquant, ac aculeum figant ſempiternum.

Curârat etiam, ut in Muſæo ſuo coram Virginis icone diebus Sabbatinis tota nocte lampas arderet, & ut id ipſum in complurium Civium ædibus fieret, ſuô zelô effecit ; qua devotione quid aliud indicare voluit, quàm Mariam eſſe illam lampadem orbis lucidiſſimam, lampadem inextincti luminis, lucernam pedibus noſtris etiam de nocte, & inter mortis æternæ tenebras peccatoribus lucentem, ut viam ſalutis inveniant.

Quàm verò devotionem præſetulerit erga Sa-

cratissimum Virginis Rosarium, inde colliges, quòd ejusdem corollam precatoriam, quando manibus non terebat, toto anno è collo suspensam circumtulerit, diebus verò Sabbatinis manibus implicatam. O insigne præclarum auctoratis Deiparæ cultoribus ante pectus pro torque, in manu gerendum pro annulis, & armillis, in fronte pro diademate præferendum! Nec hoc contentus sub vesperum præsertim tempore æstivo integra puerorum, puellarúmque agmina cogebat, invitabat præmiolis, sacrísque munusculis, & coram imagine B. Virginis vel supra ædium fores, vel sub porticu, vel in cœmeterio prostante in genua provolutus cum iisdem alta voce corollam Marianam texebat, orationem claudens cantu Litaneuticarum precum, qui mos etiamnum hodie in hac Urbe non sine laude, & populi ædificatione cernitur perennare. Idem præstitit & extra urbem præsertim sub ferias autumnales in patria sua, vel quando eum iter agere contigerat, ubi quotquot socios nanciscì poterat ad recitandam secum corollam Marianam, & hortabatur, & pertrahebat. Qua quidem devotione Magnæ illi Matri longè gratissima, quantopere sibi ejusdem favores, & amores demeruerit, quis pro merito explicet?

Teste Bentio in annuis S. J. Lusitaniæ, Alutarius in Sutrino B. Virginis iconem, accensa quolibet Sabbato lampade, colebat texendo cum uxore, liberis, & familia corollam Marianam. Die quadam horrenda tempestas nubifragio juncta octoginta domos abstulit, ducentas quassavit; pluribus

per-

pereuntibus, ipse salvus evasit. Domi tota supellex natabat, orantibus uxore & liberis. Ubi aqua resedit, venêre in domum oppidani, qui lychnum Sabbatinum ardere, intactam ab aquis imaginem, & salvam conjugem stupent; cùm tamen aquam ascendisse viderent altiùs, quàm & imago & lampas, & fœmina & liberi fuerint. Si Alutarius hac devotione tam prodigiosum sibi Virginis promeruit præsidium, quàm potenti circumvallatum ejusdem patrocinio nostrum Mariophilum arbitrabimur, qui non tantùm ipsemet Rosarii cultor exstitit singularissimus, sed in aliis quoque promotor zelantissimus?

Provocent & nos talia, & stimulos addant ad Deiparam ejusmodi pietatis officiis studiosiùs colendam, ut quondam in universali illo orbis pereuntis fragore, in illa aquarum, ignis, & elementorum omnium dissolutione, inter ultimos labantis mundi tremores, ac ululatus tabulam reperiamus, qua in portum, sinúmque Mariæ enatemus. Ardeat non tam in oleo, quàm pectore, & affectu Mariana lampas; stet in arula cordis Matris admirabilis effigies, non tam penicillô aut scalprô expressa, quàm intimis sensibus, & medullis impressa; suspendatur ex ea *Rosarium*; jam notæ pietatis insigne, tot floribus, quot globulis precatoriis contextum. Hanc corollam de genibus supplex vespere maximè Sabbatino manibus & ore volvat cliens Marianus; hanc obtendat contra ingruentium tentationum fluctus contra excitatas ab Orco tempestates, contra exundantia juvenilis caloris æstuaria; sentiet enim ve-

rò præsens auxilium, & tot inter pereuntium animarum Syrtes, et Charybdes, tot vitiorum gurgites, & voragines, tot exorbitantis ætatis eluviones, ac diluvia, incolumem se beneficiô piissimæ Patronæ servabit.

CAPUT XII.

REGULÆ DECIMÆ TERTIÆ SYNOPSIS.

Sodales inter se necessitudinem, atque amicitiam colant, & Charitatem erga omnes foveant: pravas verò societates, & quæ has comitantur, aversentur.

§ I.

Qua erga omnes charitate flagraverit?

CHaritas proximi est virtus, qua proximus tam amicus quàm inimicus propter Deum diligitur. Hac virtute diligit homo proximum sicut se ipsum: id est in Deo, ad Deum, propter Deum; non ob utilitatem, non ob aliam causam naturalem. Sicut igitur homo sibi desiderat omne bonum, et fugit omne malum, ita faciat oportet proximo suo in corpore, et anima in rebus, et honore, uti à Mariophilo nostro præstitum comperies.

Eius charitas affectum voluntatis cum opere con-

coniungens, beneficia omnibus conferebat, omnibus prodesse, omnes obsequio, et amore prævenire satagebat. Præstabat beneficia temporalia, et spiritualia, consilia, exempla, Doctrinam, et quidem libenter, ac hilariter. Pro utilitate proximi temporali miras subibat molestias; pro spirituali salute etiam vitam temporalem periculo exponebat, uti in præcedentibus vidimus. Pro benefactis verò nullam laudem, vel gratitudinem, vel compensationem exspectabat, sed solam Dei approbationem.

Inter actus christianæ beneficentiæ præcipuum tenet locum eleemosina, qua fides probatur, redimuntur peccata, emitur cælum. De eleemosinis Joannis nostri in pauperes, Xenodochia, ægrotos distributis, sparsim in hoc libro actum: pauca tantùm hic attingam: Pauperculum studiosum, et sodalem, quasi ex integro de suo alebat; huic prospiciebat de calceis, vestibus, cæteróque victu. Integris subin ieiunabat diebus, ut suum pauperibus subministraret victum. Merendula, quæ sibi à matrefamilias in singulos dies afferebatur, in cœnam transibat alicuius pauperis ut haberet, quod pauperibus elargiretur, se etiam quandoque necessariis spoliabat, nil veritus, cam ob causam acerbas suorum subire reprehensiones.

Quando conspicabatur mendicos ædibus appropinquantes, non illi tam citò stipem petierant, ac iste patrifamilias denuntiarat, pauperem adesse pro eleemosina: quam obtentam ipsemet præ gaudio subsiliens afferebat, & depositô pileô porrigebat. Properat nimirum omnis benignitas, & iucundum

est munus, quod obviam venit. Quod alicui donandum est pretium à celeritate sortitur juxta illud: qui citò dat, bis dat. Semel socium suum in pauperem quemdam verbis acrioribus invectum reprehendit, & si nil eleemosinæ dare vellet, saltem bonis verbis hominem dimitteret, monuit. Cùm insolenter non nemo pauperi eleemosinæ loco excussisset è capite pileum in lutum statim advolavit, & de terra sublatum eidem porrexit, tantò humanior, quantò alter inurbanior.

Quando aliud nil erat ad manum, saltem pomum vel alium donabat fructum, & vehementer affligebatur, si amore Dei rogatus, nil haberet, quod in eleemosinam elargiretur. Majorem crederes hujus fuisse dolorem, quod nihil dederit, quàm alterius, quod nihil acceperit. Sed in oculis Dei sufficit voluntas, cùm tribuendi facultas deest, imò hoc maximè attenditur, ut non solùm prosis, sed velis prodesse. Nemo arboribus gratias agit, quod fructus ferant, nec vento, quod secundus aspiret; nam licet hæc omnia beneficia sint, illis tamen deest bene faciendi voluntas, quæ sola apud Deum in pretio est. Utinam hanc voluntatem haberent omnes Sodales, quibus, cùm opulenti sint, facultas non deest, sed sola voluntas, qui cùm erga consanguineos sint plusquàm misericordes, erga pauperes sunt plusquàm crudeles. Sed hi non advertunt, dum despiciunt pauperem, quod licet iste sibi egenus sit, tamen omnes facere divites potest.

Ab hoc charitatis opere ad aliud transiit. Afflictis consolandis addictissimus fuit, ut alienis calamitatibus magìs affici videretur, quàm propriis: ea de causa afflictorum ædes sæpius accesserat, ut eos, quos ope corporali non poterat, saltem spirituali hoc consolationis subsidio sublevaret. Quàm ad rem hîc pronunciavit Magnus Gregorius: *ante Dei oculos nunquam est manus vacua à munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate: voluntas autem bona est, sic adversa alterius, sicut nostra, pertimescere; sic de prosperitate proximi, sicut de nostro profectu gratulari; aliena damna nostra credere, aliena lucra nostra putare.*

Certè misericordem Mariophili nostri indolem flentem cum flentibus, gaudentem cum gaudentibus videtur ad vivum expressisse Poëta ille, dum genium pinxit, vultum suum in speculo contemplantem cum lemmate. *Vultum sumit amantis amans:*

Aspice me, quicunque voles me pingere, vultus
Qualis amantis erit, talis amoris erit.
Flentis erit vultus? vultum plorantis habebo.
Rideat ille: iterum vultus amantis erit.
Sollicitùs me spectet; ero suspensus, & anceps,
Si timeat; mea mox ora timentis erunt.

Ingens quoque in ejus animo zelus exarserat, salutem proximi spiritualibus suis alloquiis promovendi. Lubeat id percipere ex iisdem actis. Jam docebat rusticos, jam nobiles, jam virgines, jam pueros, jam severum, jam mitem, prout res ferebat, se demonstrabat; cum gaudentibus

lætus, cum flentibus mæstus erat, ita ut omnibus omnia fieret, & omnes ad Deum adduceret. Patresfamilias rogabant eum, ut illarum filios, & filias instrueret in Divino obsequio; Domini, ut doceret doctrinam Christianam ancillas, & famulos. Ab ipsis Religiosis viris subinde ipsi juvenes instruendi committebantur, quorum curam suscipiens primò omnium ad Sacramentorum frequentiam, & hortabatur, & manuducebat. Multi alii ejus verbis, & exemplis impulsi, ad hos gratiarum fontes identidem recurrebant. Et sanè quidquid sapientiæ, quidquid eloquentiæ, quidquid perceperat actionis bonæ totum hoc spiritualibus colloquiis in proximi emolumentum transfundebat.

Adeò subinde suis alloquiis ad virtutis studium alios animandi exarserat, ut cùm non haberet, quos rebus spiritualibus instrueret, ad parietes suum sermonem dirigeret. Sed quæres hîc quo operæ pretiô? non aliô ac illi, qui ad saxea loquuntur corda: sola bona voluntas apud Deum in pretio est. Qui aliis prodesse nequit, dum vult, saltem prodest sibi.

Semel cùm rusticum quemdam suas ante ædes bibentem conspexisset, accessit, eundémque ut haustum suum, cæteráque sua opera omnia iuxta Apostoli monitum bonæ intentionis adminiculô ad gloriam, honorémque Dei referret, prolixè docuit, atque quò plus temporis nanciscretur spirituale suum protrahendi alloquium, eidem suam merendulam obtulit. Quam insignis hæc charitas! benefacere ut magis benefacere queas.

Quan-

Quando conſpiciebat fæminas aquam humeris geſtantes prout his in partibus moris eſt, eas monebat, ut Chriſti crucem bajulantis recordarentur, eíſque ſuum conſecrarent laborem, qui etiam aquæ hauſtui æternum ſtatuit præmium, quíque promiſit: *aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam Joan.4.* Quamquam, et Mariophilus noſter hîc ea ſibi uſurpare potuerit verba Gen. 24. *Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria.* Nam ut ingeniosè hic commentatur Cornelius: *ſitis apoſtolorum, eſt deſiderium ſalutis hominum: huic potum præſtant, qui eorum verba audiunt, & opere explent.*

Semel fæminam nobilem pretiosè, ornatéque veſtitam docuit ſuo in veſtitu Paſſionem Domini meditari: nimirum, ut quando cincinnos imponeret capiti, recordaretur coronæ ſpineæ, dum armillas induceret manibus, funium, & catenarum. Nobilis profectò Alchimiſta! qui etiam fumos nôrat convertere in pretioſum meritorum aurum. Inciderat aliquando in ſodalem, et familiarem ſuum, ſed qui cincinnis, cæteróque veſtium habitu muliebrem quamdam vanitatem præſeferebat. Hunc, cùm ſuum alloquium expeteret, indignabundus à ſe reiecit, dictitans, ſe eum pro Sodali non agnoſcere, neque agniturum unquam, donec muliebrem illum mundum depoſuiſſet. Quod cùm alter in genua provolutus, ſe amore Virginis præſtiturum ſpopondiſſet, cùm eodem in amicitiam rediit, eundémque amplexus eſt. Hoc monitore indigerent & hodie illi Abſalones,

nes, qui cypreſſum imitantes, caput in altum tollunt, ſeſe in capillorum vanitate oſtentant; frondes ſine fructu, corpus ſine ſpiritu, pulchritudo ſterilis, & virtutis expers, quibus totum pretium forma facit; ſi tamen quidquam pretioſum eſt, quod bracteato ſplendore oculis *illudit*.

Semel captata occaſione, rudem quemdam piis monitis inſtruxerat, præcipuè verò veram contritionem elicere, & omnia ad Dei gloriam referre edocuerat; qui cùm poſtmodum flexis genibus benefactori ſuo gratias agere inſtitiſſet, juſſus eſt potiùs gratias Deo referre, à quo omne donum optimum.

Conſedit aliquando inter duos puerulos multis aliis præſentibus, quos formare ſignum S. Crucis docuit, nec priùs à labore deſtitit, quàm ſcitiſſimè illud exprimerent. Aliis Parvulis interdum panem ab eo petentibus, panem non dabat, niſi prius ſignum crucis formâſſent, & Myſterium SS. Triados enarrâſſent. Quam bellè hic Petrus Bleſſenſis in illa verba: *parvuli petierunt panem*, ita commentatur: *panem frangit, qui legem exponit*. Utinam hunc panem frangerent & omnes illi, quibus ex officio incumbit; ne præ fame parvuli emori cogerentur. Quando inciderat in nefanda blaſphemandi conſuetudine detentos, hortabatur, ut blaſphemiæ locò aſſueſcerent illa verba proferre: *Sit nomen Domini benedictum*.

Si contigerat in eos incidere, quibus, cùm mundus tantùm ſaperet, ſpiritualia hæc ita deſi-

perent,

perent, ut pium alloquium non ſuſtinerent, proſequebatur eorum ſermonem; inſerebat tamen ſemper ſententiam quamdam vel de morte, vel de inferno, & ita in audientium animis aculeum relinquebat piſcator hic animarum ſagaciſſimus.

Semel cùm inaudiiſſet perſonam quamdam à dæmone aſportatam diſparuiſſe, ita jacturæ huic indoluit optimus adoleſcens, ut ſequenti nocte toto corpore coram Virginis imagine in terram proſtratus dæmonem in nomine Jeſu compellârit, dixeritque: *O fur animarum! tune audebis animam, quæ pretioſo Chriſti Sanguine redempta eſt, abducere? Te conjuro per pretioſum Chriſti Sanguinem pro me & pro illa anima profuſum, ut illam craſtina die reſtituas: Sin minus multiplicabo ego & orationes & opera pœnitentiæ, ut te compellam.* Quæ verba eo ſpiritûs fervore protulit, ut uberes erumperent lacrymæ, & ut non vanas tantùm has fuiſſe minas cacodæmon intelligeret, quò inſignem de ſe referret victoriam, conſpicatus in terra jacere phlegma fœdum ac ingens, illud ore ſumptum deglutivit, eo nauſeantis naturæ horrore, ut ſola facti recordatio poſtmodum nauſeam ei pareret ſummam, ſtomachúmque moveret. Ex quo facile colliges, quibus ille lætitiis inceſſerit, ubi altera die perſona illa fruſtra pridie, totáque nocte quæſita, iterum comparuit. *O charitas! tibi oculos nunquam ſiccos eſſe, aut miſericordia permittit, aut gaudium*, inquiebat S. Zeno, *nec recipis conſolationem, ubi vides fratris deſolationem.*

Præcipua verò ejus cura & ſtudium eò collimabat,

mabat, ut inter Sodales pax ſarta tecta cuſtodiretur. Mirabili hac in parte pollebat gratia & dexteritate adeò, ut quando inter Socios enaſcebantur jurgia, bella, lites, ille unus ad componendas evocaretur velut alter Angelus pacis. *Aſt* ſi altercantes inter ſe ex eo quæſiviſſent illis verborum Act. 7. *Quis te conſtituit Principem aut Judicem ſuper nos?* An non reponere poterat cum Sylveſtro? *Fatua interrogatio! Ubi enim charitas urget, nullus eſt neceſſarius Princeps aut Judex: ipſa charitas cuncta componit, ut ſupervacaneus ſit judex.*

Inciderat aliquando in virum nobilem recenti, eáque graviſſima injuriâ affectum jam jam ad vindictam ad necem adverſarii domô cum armis provolantem: Siſtit hic furentem; rogat; hortatur, ut pareat, vindictæ animum deponat. Sed actum egit: perſtat alter in ſententia: illatam injuriæ maculam non aliter eluendam, quàm hoſtis ſanguine: Tum Joannes: Si ita eſt, id ſaltem meis dabis precibus: Saltem ita ictum moderabere, ut non in momento hoſtem exanimes, déſque ſpatium, quo ultimis muniri Sacramentis queat. Sed nec hoc à ſui impote impetrare potuit, reponente: ita ictum ex deſtinato dirigam, ut momentô animam è corpore, & in infernum deturbem. Hoc velut fulmine percuſſus optimus Adoleſcens in genua provolvitur, exclamat: En me ſuccedaneam victimam! in me furorem exonera: ego mihi modò gravioris culpæ conſcius non ſum, adcóque ſpero, me ſore in gratia Dei, quid de tuo inimico ſit, neſcio;

scio : moriar ego, ut saltem ejus vivat anima. Frigidam igni affusam crederes ; adeò in momento hoc spectaculo restincta est ferocientis ira, cui etiam arma è manibus sustulit, è corde vindictæ studium, plenè restituta cum inimico antiqua pace.

De ira nobilius, fortiúsque triumphare quî potuerit hic Adolescens, haud ego sanè dispicio. Joannem Baptistam Faëntium ex religiosissimo Capuccinorum ordine ferunt, quamvis aliàs, uti reliquas animi passiones, ita & iram in potestate haberet, hanc tamen aliquando ita efferbuisse, ut violentiùs cohibita, ferventem jam nimium sanguinem, ruptâ pectoris venâ, magno impetu profuderit. Quid hîc Faëntius? in templum se raptim conjicit, & ut erat cruentus, ante Christi in crucem acti lignum se abjicit, atque succlamat : En meum sanguinem Domine ! Præclara sanè victoria ! Sed Faëntius sanguinem ex ore manantem Christo in sacrificium obtulit ; Sodalis Tridentinus vitam, & sanguinem : ille extinguendæ iræ propriæ, hic alienæ. Joanni Faëntio, cùm ita sanguinem suum ante Crucifixi imaginem exhiberet, Christus, conversâ ad lateris Vulnus dexterâ, ita reposuit : Vide, qualia & ego tui causâ olim fuerim passus. Quo ille spectaculo attonitus iram sanguine domitam meliori sanguini dedicavit. Ad hoc utique exemplar, & Sodalis noster respexerit, qui totus erat in meditatione Passionis Christi. Altè animo nobili illi illud impresserit ; si Salvator nos inimicos, & æternæ

mortis reos æterno ſuo Patri ſanguine reconciliavit : Si remiſit nobis decem talentorum millia , graviſſimas injurias Deo illatas ; quàm par ſit, ut homo homini vel unam remittat , eidémque reconcilietur?

§. II.

Quomodo oderit pravas Societates.

ARiſtippus interrogatus , quid omnium mirabiliſſimum ſibi videretur in theatro vitæ humanæ? repoſuit : *Vir probus inter improbos.* Adeò operoſum eſt inter malos bonum eſſe, ut habeatur inſtar miraculi . Amicitia pares aut invenit , aut facit: illud deterrimum , quòd à natura ita comparati ſimus , ut quoties bonus malo jungitur , non ex malo bonus fiat ; ſed à malo bonus contaminetur . Hinc meliùs eſt habere malorum odium , quàm conſortium . Quem Chriſtianæ philoſophiæ aphoriſmum tam altè animo imbiberat noſter Sodalis , ut pravas ſocietates non modò fugeret , ac execraretur ; ſed etiam ad eas inſectandas , perdendas , eliminandas , omnibus incubuerit viribus . Non tantùm defenſivè ſe habuit , ſed offenſivè hoc in bello.

Eò jam aſſurrexerat heroica ejus virtus, ut non jam ipſe timeret pravorum ſociorum ſannas, cavillos , ludibria ; ſed potiùs iſti expaveſcerent ejus linguam , & manum . Nullus ampliùs audebat , eo præſente , vel vocabulum proferre ob-

ſcœ-

ſcœum, ni vellet ſonante alapa temeritatem luere, & impudens os acerrimæ reprehenſionis lixiviô ſibi prolui. Nimirùm ita fieri amat, quando quis reſpectus humanos ſepoſuit, conculcavítque. Non eſt, cur ſibi à mala ſocietate timeat; benè iſta, quod metuat, habet. Hunc ipſum in finem ſuam, de qua ſupra, domeſticis in ædibus congregationem erexerat, ut alios conſodales à pravis ſocietatibus, conventiculis, luſibus, popinis abſtraheret, illius hominum fæcis hoſtis acerrimus. Id enim ad literati Sodalis partes quàm maximè pertinere arbitrabatur, ùt etiam regulæ inſinuant, ut non tantùm propriæ invigilaret ſaluti; ſed etiam pro viribus curaret alienam.

Inaudierat, latitare in urbe ſcortum quoddam, unde periculum erat, ne pravi ſocii, velut corvi ad cadaver, advolarent. Quid ille? nihil non egit zeloſus hic auceps, ut venatricem hanc Venerem ſuis pelleret à latebris; ſed actum egit, donec invocato brachio ſæculari lupam hanc Mariano inſidiantem gregi urbe fugaverit hic Paſtor bonus.

Dum Congregationis ædituum ageret, non ita ſuas curas immerſerat Marianæ ſupellectilis cuſtodiæ, quin non longè magìs invigilaret Sodalium innocentiæ, ne illa in ejuſmodi milvorum ungues incideret; majus decus Virginis futurum ratus, ſi odeum ornaretur veris, vivíſque caſtitatis liliis, quàm altaria floribus fictitiis. Hinc in tempore monebat Præſidem, monebat Marianum Conſilium, quando intellexerat, hærere

ejuſmodi lilium inter ſpinas ; ut altiore pōteſtate maturè eriperetur , antequam ſuffocaretur .

Reperire nimirum eſt non paucos , qui , cùm ſe Parthenii horti genimina genuina profiteantur, ſpinis tamen ſimiliores , quàm floribus , nōrunt vafrè quidvis ſimulare , & diſſimulare , curas obſervantium eludere , callidè ſe miſcere liliis , & ſpecie larvatæ honeſtatis alios decipere , ſpinarum aculeos ſub verborum lenocinio abſcondere . Applicant ſe candidioribus animis , quos ut inficiant , ad latus adhærent , officioſa ſtudia præferunt , donec familiari conſuetudine ſibi eos devinciant , ſenſímque virtutis fibras elidant, bona propoſita improbè dictis & factis , *velut in* herbis ſuffocent , & enecent .

O quàm eſſet optandum , ut frequentiùs illa renovaretur hiſtoria , quam Thomas Cantipratanus narrat de Juvene quodam laſcivo , & fœdis ignibus incenſo , qui ,cùm per viride quondam pratum deambularet , infamia caloris ſui veſtigia reliquit ; quidquid enim graminis pedibus attigerat , exaruit , & uſtionis notas retinuit. O pudendum æſtum ! ò fœdam aduſtionem ! ò ignominioſa ſtigmata , hircum hunc prodentia ! expalluit tellus ad iſtud libidinis monſtrum ; & ſi licuiſſet ,' ſub ſceleratis pedibus hiatum duxiſſet . Quàm multi perverſos vitarent ſocios , ſi ex ejuſmodi ſtigmatis dignoſcerent ; nunc vultu decepti , tunc primùm ſibi carbonem vicinum ſentiunt , cùm ſe jam denigratos ferè dolent . Hinc oporteret , ut nil antiquiùs haberet juventus , quàm eos fugere , qui animorum

ipſiſſi .

ipſiſſimi latrones, Pyladem tamen mentiuntur. Sed latent ſubin hi ſub ovina pelle lupi, ut eò graſſentur nocentiùs.

Verùm ut acceſſorium ſequitur principale; uti pravas ſocictates Sodalis noſter oderat, ſic & deteſtabatur funeſtas earundem appendices, otium, noxiam libertatem, choreas, ludos, larvas, ganeas. Otium, illum parentem, & nutricem cæterorum vitiorum, novercam virtutum omnium, luem peſtilentem mentium, morbum lethalem, pulvinar diaboli animitus execrabatur. Teſtis, ordo diurnus, ſuperiùs deſcriptus: teſtes tot præclara opera, queis tempus implevit, ità ut non præterlaberetur momentum, quod non fructuosè collocârit. Immo etiam conſodales ſuos ab illa animi peſte, ab otio, abſtrahere pro viribus allaborabat. Ipſemet tempus omne, quod à virtutum exercitio ſupererat, ſcientiarum ſtudio tranſigebat, quibus ita erat addictus, ut nonniſi evocatus ſemel iterúmque ad prandium, cœnámve ſubin potuerit adduci. Interdum eorundem deſideriô ita abripiebatur, ut etiam in menſa libellum ſibi ante oculos poneret, ac lectione prandium interpolaret. Integros interdum dies domi ſe continebat, & citiùs etiam à menſa ſurgebat, ut plus nanciſceretur temporis, quod ſtudiis conſecraret. Dictitare erat ſolitus, ſe plus ſtudiis, quàm cibis paſci. Tibi forſan hìc in mentem veniet illud, de guſtibus non eſt diſputandum, me mea delectant, te tua, quémque ſua: aliam huic, aliam tibi placere viam. Sed quæ tibi præplacent ſtudia?

quæ via ? fortaſſe unus ex iis es , de quibus Salomon : *nullum ſit pratum , quod non pertranſeat luxuria noſtra* ? Sed velim & illud cogites : *extrema gaudii luctus occupat*: mundi fabularum triſtis ſemper eſt cataſtrophe, & cùm perſonatis gaudiis larva detrahetur , tunc primùm intelliges, quàm non iuverit, vel ad tempus inſaniiſſe. Et ex his pronum erit conjectare , quàm procul Sodalis noſter abfuerit à comeſſationibus compotationibus,conviviiſque frequentandis, quibus tot alii indulgent. Et licet quandóque iis intereſſe Urbanitatis exigeret ratio , ſuam tamen orexin ad longè alias epulas anhelantem haud obſcurè prodebat. Nam , ut acta perhibent, *tam* dextrè nôrat de Angelico Euchariſtiæ epulo humanas inter epulas ſermonem inferre , ac declarare , quanti referret frequenter eidem accumbere, ut non paucis ex convivis id perſvaſerit , inque ſui ſequelam eos pertraxerit. Egregium planè epulonem , qui dum corpus ſatiatur cibis , nobiliorem animæ famem, & orexin ad Angelicam dapem in convivis ſuis excitat. Nimirum quem ipſe rerum divinarum guſtum habebat , totâ vitâ ſuâ delectationem maximam quærens in auditione Verbi divini , lectione librorum ſacrorum, & frequentatione ſanctiſſimorum myſteriorum ; eô gaudebat etiam alios imbuere , ut non ſolus aliquando compareret ad Cœnam magnam in Cœlo , ſed comitantibus pluribus ſuo zelo , ſuóque exemplo attractis.

Ex dictis etiam haud difficilè erit arguere, quàm procul abfuerit à luſibus , choreis profa-

nis ſpectaculis, comœdiis, cæteríſque mundi irritamentis. Ad longè ſanctiora ejus anhelabant vota, ferebantur ſtudia. Delicata omnia, quæque prima mortalibus habentur, adeò ipſe penſi non habuit, ut etiam nauſearet. Fatebatur ipſe, nihil fluxarum rerum jam eſſe, cujus affectum non illius amore exuiſſet, qui ſe ſuáque omnia pro hominum ſalute impendit. Æterna tantùm tanto ſemper in pretio habuit, ut præ illis, & terrena univerſa, & quidquid in ſemetipſo æternum non meminiſſet, generoſo faſtu deſpiceret. Jam pridem perenni illo ſuo meditandi ſtudio didicerat, non niſi veriſſimum eſſe illud: Mundi mel eſt fel; ejus munera funera: ejus pax fax: ejus arriſus irriſus: ejus culmen fulmen: illius jocus focus. Mundi fallacis oculi ſunt ſcopuli: ejus cumuli tumuli: illius ſors mors: mundi lætitia eſt triſtitia: honos onus: ſapientia dementia; Mellei boli ſunt doli; mundi amplexus fit nexus: blanditia ſævitia: copia inopia. Mundus amat, poſt modicum hamat: pſallit, mox fallit: blanditur, mentitur: dum oritur, moritur.

CAPUT. XIII.

REGULÆ DECIMÆ QUARTÆ SYNOPSIS.

Ad extremum omnes satagant suas leges pernoscere, atque accuratè ad earum normam vitam instituere.

NOn est, quod mireris, si tam operosè iterum iterúmque sui custodiam inculcant Marianæ regulæ; nulla siquidem nimia videri debet cautela, qua contra tam pernicioſum malum, legum neglectum itur. Tria autem ad perfectionem operis à legibus præscripti requirit Philosophus, primò quidem, *si sciens; deinde si eligat, atque eligens propter ipsa: tertiò si stabili atque immobili effectu præditus agat.* Primò igitur necesse est, ut ex scientia opereris, id est, ex arte, & ad regularum amussim: ad hoc autem cumprimis necessaria est legum notitia. Audi, quid Chrysologus: *præcedit scientia virtutis actum; quia nemo potest fideliter appetere, quod ignorat.* Et sanè, quis unquam voluit artem perdiscere, quin unà & in regulas inquireret, ut eas addisceret? quis se in servum domino locavit, quin priùs sciret, quales hæc servitus pareret obligationes?

Sed quæ nostro Mariophilo legum Marianarum

rum cura? De illo id dici poterat: *in Angello cum libello*. Hujus testis omni exceptione major vita ad omnes regularum exacta apices. Testantur id ipsum Congregationis commentarii, legum Marianarum libellum, quo utebatur, longo usu exesum, & attritum, fuisse sæpè repertum à contubernalibus in Oratoriolo à lacrymis madidum, ut intelligeres, verbi divini semen non incidisse in terram aridam. Sed ubi tuus libellus? fortassis jam à tempore immemorabili in angulo quodam in pulvere dormit, & requiescit. O quàm tibi servirent hæ lacrymæ ad abluendas has sordes. Forsan omnino accepit libellum repudij, aut dimissus, aut amissus? Si ita est, en, alium tibi substituo: Leges nimirum Marianas, in viva Idea expressas, inspice, & fac secundùm exemplar.

Secundò, *si eligat, atque eligens propter ipsa*, Oportet, ut exercitio regularum assuescas; quia Deo placet, placet Deiparæ: non ex timore, non ex aliqua consvetudine, non ob respectus humanos. Opus bonum intentio facit: quod est corpus sine vita, hoc est opus sinè intentione bona. Deus non remuneratur verba, sed adverbia, inquiebat S. Bernardus; laudatur pictor, non qui multùm pingit, sed qui benè.

Sodalis noster suis bonis operibus, quæ singulis mensibus pro more offerebat, identidem hæc verba inserebat: *hoc mense examen meum particulare eò direxi, ut singulis meis actionibus præfigerem bonam intentionem*. Sed quam illam? Illud identidem die ac nocte repetere solitus erat:

Domine, non servio tibi, ut paradisum obtineam. Sic est, diligenti Deum sufficit ei placere, quem diligit; quia nulla major est repetenda remuneratio, quàm ipsa dilectio: nec ulla major dignitas Creaturæ, quàm suo placere Creatori.

Etiam ipsa literarum studia non ad vanitatem honoris, non ad inanitatem quæstûs, sed ad unam Dei gloriam referebat: in musæo suo ante mensulam collocavit Virginis imaginem, coram qua, velut Sapientiæ sede, literarios suos peragebat labores, quos etiam condiebant frequentia ad Deiparam, quam unicè adamabat, suspiria, & quasi quædam precum jacula, quæ per intervalla ad dulcissimam Matrem vibrabat; columbam diceres, alterum oculum libris, alterum cœlo intendentem. Credite mihi, Sodales! in studijs cum Maria, seu meliore Pallade pagellas volvit, qui eas Mariano honori consecratas cupit; auram sibi ab ea afflari sentit, quisquis reciproca suspiria frequens ad eam emittit.

In singulis chartis, quibus suas elucubrationes scholasticas inscripserat, legere erat majusculis literis efformatum Mariæ nomen, cui sua consecrârat studia, quam unam utpote Sapientiæ sedem in studiorum suorum Patronam elegerat, & Advocatam, ad hanc confugium habebat orationis: Huic uni felices, quos in literis habuit progressus, in acceptis referebat. Duo suo exemplo demonstrare voluit, Mariam esse illum in clientes sibi devotos sapientiæ aquæ ductum, fricciora ingenia irrigantem, obscuriores intellectus illu-

illuſtrantem, hebetioris mentis exacuentem tenebras, quas multis naturæ infelicitas infudit, miſeratione gratioſæ Virginis depellentem, ac profligentem. Et ſanè communis condiſcipulorum opinio tulit, eò, quòd præter horas pleraſque orationi, & rebus divinis impenſas, in literis tamen addiſcendis, profectúque maximo, nemini cederet, non niſi divinitus hanc ei doctrinam inſtillatam.

Tertia exactè obiti officij conditio eſt, ut *ſtabili atque immobili effectu prædituus agas*, id eſt, perſeveranter. Aliqui ſub ipſum Sodalitatum ingreſſum magnam præſeferunt modeſtiam, promptitudinem, diligentiam, regularum obſervantiam; Verùm ſat citò remittit ardor, refrigeſcit charitas. Cur ita? motus ille non erat ab intrinſeco. Ferrum ſub candentibus prunis illico igneſcit, reſplendet illico; Si extrahas, iterum nigreſcit, ac ad frigus, & naturam redit, quare? quia ferrum non motu proprio effecit illam mutationem, ſed contra inclinationem ſuam violenter admiſit. Idem uſuvenire in hac Spiritûs officina conſpicies. Etiam incurij aliàs conſtringuntur, ut ſeſe inflamment; calorem mutant, compulſi ad id exemplis Sociorum, cuſtodia parentum, vigilantia moderatorum; ſed hoc impulſu deficiente, & calor deſicit: ardent, ſcintillant; ſed calore vi intruſo: liberiorem auram nacti, ſtatim iterum refrigeſcunt, & paſſionum ſuarum nigrorem induunt. Ut officium ſuum exactè quis præſtet, agi debet interno virtutis impulſu, non externa vi, uti agebatur noſter Mariophilus, qui omnia

nia ſua opera animabat interno charitatis Spiritu, ut ipſemet de ſe teſtatus eſt, quando ſcripſit : *Deum amavi, Deo ſervivi, abſque ullo meo lucro ; quare ſæpè exclamabam : Domine ! neque propter cælum, neque propter conſolationes neque propter ullam aliam rem te amo, tibi ſervio ; ſed ſolum propter tuam bonitatem.* En! quo ad agendum movebatur impulſu. Qui charitate agitur, operatur magna, & perſeveranter: hic ignis dicit : nunquam ſufficit. Etiam columbæ Architæ volabant : etiam ſtatuæ Mercurij Triſmegiſti movebantur, deferentes in menſam lances : Verùm breviſſimus erat earum motus; quia non animabantur interno Spiritu. Cordis locò habebant rotas, *machina mentis*, inquiebat S. Gregorius, *vis amoris, quæ illam, & è mundo extrahit, & in alta tollit.* Hoc ſpiritu, ſi cares, ſi tuarum actionum primum mobile ſint reſpectus humanj, ſtruthionem imitaberis, qui quidem alas ingentes explicat, ſed vix à terra palmô levatur : apparebit, quòd voles in altum, apparentia exteriore, ſed reipſa ſemper reptabis ſuper terram. Quàm verò Mariophilus noſter omnes actiones ſuas interno quodam pietatis ſenſu imbueret, quàm omnia ex virtutis procederent ſtudio, ex ipſius iterum libet verbis percipere. Semel, ſcribit ille ! conopeum quod ſanctiſſimi Sacramenti tegebat tabernaculum, auro intextum, reficiendum ſummis votis à matrefamilias popoſci, quæ tandem conceſſit. Ego impetratam à me veſtem, quæ omni ex parte lacera erat, ſumma cum lætitia refeci;

ci; priùs tamen à matrefamilias inſtructus. Cùm autem ſartor appellarer, reſpondi : utinam meo Domino beneficium aliquod præſtare poſſem! indignum me eſſe, qui hoc munus peragam. Et inter nendum cogitabam, quanta cum lætitia Beatiſſima Virgo Filio ſuo veſtes confeciſſet quantáque cum diligentia; quare & ego indicibili cum gaudio & diligentia opus urgebam. Hoc advertit materfamilias, quæ certè, inquit hoc opus ad me pertineret, nec permitterem niſi talem in te guſtum devotionémque notarem; à quo ad prandium ægrè me avocare potuerunt domeſtici, víxque finitâ mensâ ad meum redivi laborem, & ſex fermè horas duravi. Hæc ille: En! dum manus tota eſſet in opere, mens tota erat in dilectione, in humilitate, in Deo, in Deipara.

Sic etiam, dum depingeret aliquando flagellationem Chriſti, adeò meditationi immergebatur animus, ut ſubinde cogeretur penicillum è manibus ſeponere, & ſuas lacrymis laxare habenas. Interdum aliorum lavabat pedes, mira animi voluptate. Sed unde hæc? *Cogitabam*, ſcribit ille, *in illo cum diſcipulis opere, admirandum abiecti cordis Chriſti exemplum*. Obſervatus eſt non ſemel, etiam in publica via, in genua procumbere, & obvio mendicabulo exoſculari pedes. Sed quo Spiritûs impulſu ad hoc demiſſionis ſe inclìnavit opus? Non alio, quàm quo Mediolanenſis ille Sodalis, qui, cùm mendico, & ſordidato ſtipem à Cœtu Sodalium collectam elargiretur, íſque gaudio geſtiens in ge-

nua procubuiſſet, gratias acturus, Sodalis quoque ad mendici ſe pedes abiecit, luridúmque hominem complexus, atque exoſculatus, *Deus bone*, inquit, *tu ad pedes meos accidis, Chriſti perſonam qui geris?* En, quò reſpexit & Sodalis noſter: ſuſpexit in homine Deum; in pauperc Chriſtum.

Inde etiam ſuam traxit originem ſua illa erga pauperes reverentia. Semel, cùm pauper aliquis, & ipſe ad eundem, eúmque perangu-ſtum ponticulum conveniſſent, voluit ut alter præcederet, quando in xenodochio ægris inſerviebat, quando paupercculum alloquebatur, etiam quando puerulo vel puellulæ ſtipem largiebatur, id ſemper nudato præſtabat capite. Chriſtum in pauperibus honorabat: altè nimirum illud principium animo impreſſerat, quo imbutos etiam ad infima obſequia alacres olim demiſiſſe intellexerat Aquilanos Sodales, ut ægris apertô capite inſervirent, daréntque manibus aquam, & potum genibus flexis præberent, cúmque vir nobilis obtrectando diceret: *nimirum, paria nunc mendicis ac Principibus obſequia præſtantur*: Præfectus pro reliquis reſpondit: *miraris, paria utriſque præſtari? enimvero illud ego potiùs admiror, pauperibus non ampliora, maiorique cum reverentia deferri, quàm Principibus; cùm in his eorum dignitas, in illis Chriſtus venerationis cauſa ſit.*

Imitare & tu, lector Parthenie, hunc ſpiritum, & non illorum, qui ſpiritu ita debiles ſunt, ut ad omnem motum inconſiderati verbi

finant à corde auferri omnem cuſtodiam legum Marianarum. O quot ad riſum, ad cavillum pravi ſocij agitantur ut arundines, quò cuiuſvis vocis ſibilus eos inclinat! Qui in corde fovet genuinum magnæ Matri placendi, inſerviendique ſtudium, non ut vexilla turrium agitantur in omne latus à quovis vento; ſed durant, & perſeverant, ut annoſa quercus, quæ ne quidem vacillat ad fragores tempeſtatum, qualem in noſtro Mariophilo Congregatio Tridentina ſemper ſuſpexit, qui ſtabili, atque immobili affectu præditus, in actionibus ſuis in vitæ curſu unicè reſpiciebat, velut ad cynoſuram, ad virtutis excellentiam, Deiparæque beneplacitum & honorem, non ignarus, Beatam Virginem non tam reſpicere ad id, quod quis agit, quàm cur & quomodo agit; non tam ad ſubſtantiam operis, quàm modum; non tam ad initia, quàm ad finem.

Atque his omnibus virtutibus ſuis terminum immotum conſtituit perſeverantiam, qua ab incepto ſemel apud nos pietatis officio neque ipſe quidquam digreſſus, neque ab aliis deduci ſe unquam paſſus eſt. Et ſanè, vix eſt aliud certius præcipui & eminentis erga Deiparam affectus argumentum, quàm quædam in eiuſdem cultu aſſiduitas ac conſtantia. Theſaurus, cui in dies fit additamentum, etſi illud magnum non ſit, incredibile tamen augmentum accipit cum tempore; quantò magis, ſi fiat id per concatenatam actuum præſtantiſſimorum ſeriem, uti in Joanne noſtro apparuit, qui tandem nobis va-

le-

ledicens, ac. Romam profectus, Societatem IESU ingressus est, in qua per quinquennium circiter sanctissimè vixit, & tandem circa annum Christi 1653., dum Præfectum in Seminario Romano ageret, diem suum obiit; Sed qua morte autumas? si ex signis prodromis arguere licet, non nisi pientissima. Geminam ille præparationem morti suæ remotiorem unam, proximiorem alteram adhibuit, utramque talem, quæ non nisi effectum sortiri potuit optimum. Jam priùs bis mundo mortuus, semel admirabilis suo mortificationis studio, quà servus Mariæ: iterum relictô sæculô, quà Jesu Socius in Religione; an non à Matre, an non à Filio mortem speraret exoptatissimam? Res est tam plena solatii, quam unanimi Patrum calculo firmata, malè illum mori non posse, qui Mariæ vixit obsequiis.

De Sodali quodam Friburgensi annuæ perhibent, eum, cùm ardentioris febriculæ vehementiâ ad extremam vitæ lineam deductus fuisset P. Præsidi solatium animæ suæ in hunc modum expossuisse: Nunquid mi Pater! assidentem mihi Patronam Cœli Dominam vides? Ecce triduô iam sustinet me, solatur afflictum, erigit pusillanimem congredienti cum morte sudorem abstergit verbo: facit id morienti, quod incolumis sæpè petii, ne scilicet me deserat in hora mortis. An non simile quid sibi quoque polliceretur hic admirabilis noster Sodalis Tridentinus? Et quid ni materna inter ubera hunc clientem reficeret, gratiarum Mater, qui per totum annum jejuniis emaciatus, in ipsis festorum illius pervigiliis ad

usque

uſque noctem, ne vel tantillum admiſit, quo corpus languidum reficeretur? Quid ni promerita tandem lauro victorem filium coronaret, qui nullum in vita diem præterire voluit, quo pulchrum de roſis ſertum, ardentiſſimis affectibus connexum, Materno vertici non imponeret? Gratis certè non amatur Virgo, nec coronatur. Nihil ambitioſiùs expetierat unquam innocens hæc columba, quàm in vulneribus habitare Chriſti, quàm in gremio quieſcere Matris divinæ. Hinc vivendi legem, patiendi robur, moriendi denique artem hauſerat, quæ illum haud dubiè Matri glorioſæ ſociaverit in Cœlis, poſtquam ab hac Matre afflicta divelli nullis voluptatibus potuit in terris.

Sic eſt: *piiſſimè obiit, clariſſimam ſanctitatis famam poſt ſe relinquens*. Ita teſtabantur literæ Româ miſſæ ad Congregationem noſtram. Poſtremos dies vel noctes integras ardentiſſimo virtutum Theologicarum exercitio ad mortem ſe parabat, quod illi difficile non erat. Mors Echo vitæ: quibus ſtudiis aſſuevimus in vita, ea quoque in morte recurrunt. Identidem Mariam ardentiſſimis ſuſpiriis invocabat: quid mirum? Cœlum ingreſſurus, ſi hujus Januam pulſaret. Tandem cùm fatalem ſibi horam imminere advertit, acceptam Chriſti in cruce pendentis effigiem, & ſanctiſſimæ Matris iconem, poſt crebras tenerrimáſque diſſuaviationes pectori impoſuit, atque ſic iis, quibus vixit immortuus fuit.

Refert Sodalis Parthenius, Novodomi nobilem adoleſcentem ſubitâ febriculâ deceſſiſſe. Hic

ad ultimam luctam instructus, jussit canem nigerrimum scuticâ abigi, ut B. Virgo, quam adventare cernebat, commodum ad se accessum haberet: quam etiam lecto jam adstantem manibus junctis venerabundus alloquebatur: *O Virgo! ò Maria! ò Patrona mea dulcissima! tuum ne desere tibi castimoniæ votô obstrictum, & in hora mortis suscipe.* Dixit, repetitísque frequenter Jesu, ac Mariæ nominibus, cum ea ad Superos triumphabundus abiit.

Hìc, velim, benè notes ultima illa verba: *cum ea ad Superos triumphabundus abiit.* Qui in vita sub Marianis pugnant vexillis, & vincunt, his Maria non tantùm assistit in morte, sed etiam post mortem eos sistit Divinissimo suo Filio: impetrat, ut *ammodò quiescant à laboribus suis*: Sed qua in sede? Qui vicerit (inquit Rex & dator gloriæ Christus) dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus. Apoc. 3. 21. Ad hunc thronum utique, uti sperare fas, deduxerit in triumpho Sodalem quoque nostrum Tridentinum Maria, qui sub Ejusdem auspiciis cum mundo, carne, & dæmone pugnavit fortissimè, gloriossimè triumphavit. In triumpho, inquam, deduxerit longè solenniore, ac olim suis triumphatoribus adornavit Roma. Frustra hic mihi jam suos Aurelianus Imperator cervos, molossos, aut tigres Heliogabalus, elephantos Pompejus, Firmus Imperator struthiones, leones M. Antonius; frustra Imperatores cæteri alias belluas, currus

trium-

triumphales trahere coactas urbi, orbíque superbè ostentaverint, quando nostro Mariano triumphatori in cælestе Capitolium invecto jugum induerint pro cervis cicurati timores, pro canibus domiti invidiæ motus, pro tigribus, fracti iræ impetus, pro leonibus compressi audaciæ nisus, pro elephantis superbiæ debellati conatus. Ejus triumphali essedo inscriptum resplenduerit procul dubio illud Abbatis Clarevallensis lemma: *Quod pugnantem fatigat, vincentem coronat.*

Sed quæ corona? Non utique illa, quam olim suis triumphatoribus statuit antiqua Roma, vel castrensis, vel muralis, vel civica, vel obsidionalis; sed immortalis, & non alia quàm *corona vitæ*! Nam ubi nunc illa in ornamentum capitis pretiosè implexa, vel hedera Bacchi, vel Cæsaris laurea, vel palma Rutilii, vel quercus Coriolani, vel myrtus Varronis, vel olea Herculis, vel Decii gramen, vel denique aureum diadema Caligulæ, solem, & lunam, & sydera errantia præferens? Emarcuêre illa, ínque cineres, unà cum capitibus coronatis abiêre omnia. Coronæ, quas genuinis Mariæ Clientibus cælum statuet, tabescere nequeunt, ætate sua æternitatem æquant.

Testantur insuper prædictæ literæ Romanæ, Joannem nostrum eam post se sanctitatis famam reliquisse, ut statim post obitum plurimi vestes ejus diriperent, & alia ab eo usurpata reliquiarum locò haberent. Quin imò sparsum est, quòd quidam Convictorum, devotionis causâ, ei auriculam abscíderit.

Memorat Surius, ob patrata à S. Avito innumera miracula, adeò in eum populorum accensa fuisse studia, ut Aurelianenses, Dunensésque mortui exuviis inhiantes, propè ad arma venerint. Jam castra castris oppositа stabant, concursúmque fuisset, ni Leusus quispiam, summo genere vir, furentes monuisset, ne crudeli pietate Divum offenderet. Utinam pari studio pro Joannis nostri non exuviis, sed virtutibus à Sodalibus certaretur, quas in medio positas nulli invidet, nobilissimas sine dubio omnium reliquiarum.

Nec est, cur quisquam hic miracula exigat; nam teste S. Petro Damiani, *uberiorem fructum præbet audientibus Sanctorum vita, quàm miracula: illa exigit imitationem; ista ingerunt admirationem: miracula docent, quàm Sancti fuerint; vita verò insinuat, qualiter & nunc homines fieri valeant Sancti.*

CAPUT XIV.

Anacephalæosis hactenus dictorum, seu Parænesis ad Marianos Sodales.

AD quod olim tam ardenter hortabatur Christianos omnes S. Bonaventura illis verbis: Mariam induite, quotquot diligitis eam: Hæc luceat in moribus, splendeat in actionibus; splendido Mariæ vestimento induitur, & velut sole amicitur, qui illustres Sanctissimæ Virginis virtutes æmulatur: id ego singulariter sibi dictum velim arbitrentur Parthenii Clientes. Jam ab initio hujus opusculi Sodalem speculum quoddam esse dixi, quod B. Virginis mores in se reciperet, & aliis repræsentaret. Videte dignitatem vestram, Sodales, imago quædam divina: speculum justitiæ, norma quædam rectè vivendi, simulacrum B. Virginis quoddam, speciménque virtutum illius estis. Magna omninò dignitas, & præ qua nullas ego avorum, ac quorumvis majorum mihi imagines optem. Qui verò Virginis audire vult & speculum, & imitator tenui conatu, & perbrevi passu grandia ejus vestigia non implebit. Tantæ artis prototypon diligentem in ectypo requirit penicillum, nisi monstrum imagini substitutum velis,

Vidimus ſuperiùs, quàm præcellens archetypon in Deipara Sodali prima exhibeat Regula, ad ejus normam ſuos effingat mores; & primò quidem imitandam Virginis caſtitatem. Fuit equidem Maria teſte S. Bonaventura *mare quoddam plenum gratiarum & virtutum; Hæ enim omnes in illam à primo ſtatim conceptu pleniſſimis canalibus, & quidem maxima cum dignitate confluxerunt: at nullius virtutis laude tantùm enituit ac pudicitiæ, ita ut cæteræ virtutes in Maria velut in ſpeculo, caſtitas velut in ſole reluceret. quo fit, ut quamvis perfectionum omnium decora, & ornamenta in Virgine habeamus, in ea tamen intueri potiſſimùm debeamus exemplum cuſtimoniæ.*

Nolim hic mihi dicas: nimis altum, & non imitabile tibi proponi exemplar: hunc ſolem tuos non ferre oculos. Non exigit regula, ut eouſque aſſurgas, donec omnes illos altiſſimos Archetypi apices exæques. Imitare heliotropium ſolis florem dictum, qui, quia ſolem perpetuò reſpicit, eidem quaqua verſum ſuam inclinat faciem, ita ut dum ſol in Cælis circulum deſcribit maximum, hic in terris & ſuum licèt minimum deſcribat. Sic & tu, ſi Virginem non aſſequeris, ſaltem ſequeris: ſi cœlum non attingis, ſaltem humi non reptabis. Quòd ſi tamen ſolem hunc intueri tui non ſuſtinent oculi, eos ſaltem defige in perfectam Tridentini Sodalis Ideam, quem liber iſte tibi exhibuit; In hac refractis radiis, minori oculorum offendiculo, Marianarum virtutum ſplendorem videbis adumbra-

bratum. Imitare proin primo Consodalis tui castimoniam. Magna vis exemplorum, & momenti plurimum habet ad sequelam ea cogitatio, *nihil nimis arduum esse, quò Sodales tui evadere potuerunt*. Sic S. Augustinum, *casta dignitas continentiæ, serena & non dissolutè hilaris, honestè blandiens, ut veniret eò, quò transire dubitabat*, hortabatur: *extendens pia manus, plenas gregibus bonorum exemplorum*, & cunctantem, *irridebat irrisione exhortatoria*: *Tu non poteris, quod isti & istæ?* ab illicitis scilicet voluptatibus animum corpúsque continere. Et hujus quidem virtutis cultura deberet esse Parthenii clientis princeps cura. Est enim castitas gratissimum Virginis domicilium, & jucundissimum diversorium; nam ùt ingeniosè in illa verba: *pascitur inter lilia* Cant. 2. Mellifluus Doctor observat: *amat florigeram patriam flos de radice Jesse, & libenter inter lilia pascit flos campi, & lilium convallium*. Huic consonat S. Franciscus Salesius? *Castitas virtutum omnium est lilium nihil pulchrum nisi per puritatem*. Hinc juxta S. Zenonem, *Castitas vera est æterna formositas.*

Imitare & Consodalis tui humilitatem. Harum virtutum Virginitatis, & humilitatis pulchra est permixtio, teste Bernardo, nec mediocriter Deo placet illa anima, in qua, & humilitas commendat Virginitatem, & virginitas exornat humilitatem. Quæ cùm omnibus, tum singulariter imitanda est Sodali. Velim autem ut ad Exemplum Tridentini nostri Consodalis tua tibi humilitas quàm maximè pro custodia castitatis ser-

viat; nimirum, ut non altum ſapias, caveáſque, ne nimia tui te fiducia decipiat, & tuis innixus viribus in Caſtitatis agone diſcrimen non declines. Quisquis hic non timuit, jam lapſus eſt. Quot & quales viri poſt mortificationes, & victoriàs, poſt ſigna & magnalia incauto fœminæ aſpectu corruerunt? nónne præſumptuoſæ temeritatis eſt, ſi adoleſcens, in lubrico conſiſtens, vitiô ætatis ardens, ubi tot viri cecidêre, aliquid audeat, & non evitet diſcrimen?

Hanc pugnandi rationem inculcat Doctor gentium: *fugite fornicationem:* non dixit odiô habete fornicationem, aut averſamini, ſed fugite: nimis acer, & vehemens hic agon eſt, fugiendo repugnandum eſt. *Fuga Laurigeros parit iſta triumphos.* Quos vel ipſi Poetæ tibi ingeniosè polliceri ſunt viſi, cùm Virginem Daphnidem Apollinis amores fugâ eludentem, in arborem Laurum triumphis deputatam, verſam eſſe finxêre. Imitare & obedientiam exactiſſimam quà Præſidi, quà Magiſtratui Mariano, quà ſuis Superioribus præſtitam à Sodali noſtro. Hæc virtus, uti cæteras omnes menti inſerit, inſertáſque cuſtodit, ita pariter ſummum eſt, ac planè neceſſarium tenerioris ætatis ornamentum. Uti ex primi parentis inobedientia omnis felicitas infirmata eſt; ſic pariter per obedientiam Filii Dei redintegrata, cui medicam quoque admovit manum cæleſtis illa Archiatra obſequioſiſſima illa voluntate: *fiat mihi ſecundum Verbum tuum.* Hanc Chriſtus præ cæteris virtutibus commendavit, qui ne eam

per-

perderet, perdidit vitam. Christus obedivit Matri suæ, cur non tu, & tuæ? Non dedignetur facere Christianus, quod fecit Christus. Pudeat, pœniteat, si illa quæ est terribilis ùt castrorum acies ordinata, in castris suis minùs obedientes habeat, quàm vel Scipio, vel Mitridates in suis: atqui hic suos inter milites habuit, qui libratum jam in hostis caput gladium, cùm receptui caneretur, ipso in ictu cohibuit, vaginæque reddidit: ille rogatus, quanam re fretus classem educere in Africam pararet? trecentos viros ostendit, turrímque è maris scopulo assurgentem, & dixit: *nullus horum est, qui non conscensa turri semet in mare præcipitaturus sit, si jussero*. Uti victoria ab obedientia pendet in præliis profanis, sic in Marianis: hac instruere, ut illam consequare.

Imitare & reliquas virtutes omnes, quæ in Sodali nostro tot tantæque, ac in gradu tam excellenti eminuêre, ut quæ in singulis singulæ, in eo uno viderentur singulares. *Animo virtute exculto*, teste Tullio, *nihil est formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius, cujus facies, si oculis cerneretur, mirabiles sui amores excitaret*. Hanc animæ pulchritudinem nitorémque facilè assequêris, si cum Mariophilo nostro ea adhibeas remedia, quæ serviunt ad eluendam omnem peccati maculam. *Haurietis aquas cum gaudio de fontibus Salvatoris* monebat Propheta Isaias c. 12. hi fontes sunt Sacramenta de vulneribus Christi uberrimè profluentia. Ad has scaturigines gratiarum, volunt regulæ, ut crebrò an-

heles

heles, ſicut cervus ad fontes aquarum, hanc tibi vivificam propinant aquam, ut cupiditatum extinguas ſitim, & ablutus puritatem conſcientiæ conſequaris, longè gratiſſimum illud virtutibus diverſorium! Hoc autem eò faciliùs conſequêris, ſi illam accuratè cuſtodieris regulam, quæ vult, ut *cuique ſuus certuſque ſit conſcientiæ arbiter*. Nec immeritò: nam, ut benè obſervat Sodalis Parthenius: unum, certúmque eſſe convenit, qui te nôrit, qui morbis tuis efficacem medicinam faciat: ſanitatem non amat, qui apud multos medicos quærit; priuſquam morbum tuum quartus, quintúſve inſpexerit, periiſti. ita qui temerè per diverſos animorum medicos vagantur, morbis vix levantur. Ut neque Paſtores, neque coquos plures prodeſſe aiunt. Quid enim quæris? Ut &hic, & ille diſſimulet? Ut impunè apud tertium deponas, quod ad primum iteratò referre non audebas? Ut quartus te ad ſe primò adeuntem benignè dimittat, quem primus relabentem totics, abſolvere non poſſet? Ut nemo ſciat te eadem iterare? Ut peccandi occaſiones nemo præſcindat; quia nemo notat? Quisquis talis es, arbitros quidem mutas, ſed non animum; & ſi neſcis, rarò abſolveris, quia idem: id eſt, reus eſſe vis, atque ad amplectendam ſeriam frugem animum nunquam inducis. Et videlicet palpum aut fomentum, non ſcalpellum ulceribus tuis quæritas. Seriò integritatem animi tui expoſcenti, ſit certus, qui animum perſpectum habeat, qui conſtanter morbum curet, qui remediis mutatis experiatur omnia, ut

tibi

tibi ſanitas reparetur. Quibus alia mens, illi jam propè propiùs perierunt. Porro Epulæ Euchariſticæ Mariophilo noſtro ſuæ erant deliciæ, ſuus in terris paradiſus, ad quas ſua unicè anhelabant vota, ferebantur ſtudia. S. Chryſologus Euchariſtiam vocat arborem vitæ plantatam in medio paradiſi Eccleſiæ; quia ex ea comedentibus vitam divinam & conſimilem immortalitatem non tam ſpondet, quàm ſervat. Perire debuerant herclè univerſi, ſi hanc arborem vetitam ſibi intellexiſſent. ſed quæ arbori huic, & paradiſo inſidiari ſolet Orci perennis invidia, invenit & hic nocendi modum veterator ſerpens è loco diverſo & armis contrariis nos oppugnans ac olim noſtros Protoparentes Adamum & Evam. Quos olim ingluvie perdidit, hodie exſugit inedia. Pulſus licet ex arbore paradiſi, vel remotiſſima cernit hic ſerpens Epidaurius. Non citiùs ad eſum divini hujus fructûs manum parat extendere bonus Sodalis, cùm ſibilat horrendum è teſquis ſuis excubitor anguis; ſiſtere manum & dentes jubet: moras iniicit ac torpedinem, & niſi vanus ſim augur, haud paucos hodie hac arte baſiliſci territos peſſimè circumvenit. Certi populi in Africa Abiſſini dicti tam ſeverum ſibi quot annis indicunt jejunium, ut viribus omnino concidant. Hujus non ignaræ nationes circumjacentes eorum hoſtes, finem hujus jejunii expectant, & tum armis adoriuntur, quando præ debilitate, nec arma contra expedire, nec pedibus inſiſtere queunt. Hoc ipſo ſtratagemate utitur Orcinus ſerpens, jejunium

ſuadet, & abſtinentiam ab hoc cibo fortium, ut ſic debilitatos, languentéſque ſpiritu, ſuis adoriatur technis, eóque ſternat faciliùs. Hinc non immeritò Congregatio tamquam provida mater ſuis filiis hanc legem tulit: *quocunque menſe non comderitis*, paradiſo veſtro periclitamini.

Obſervaveris ſuperius, Joannem noſtrum ſub ſui Confeſſarii directione maturè ſuſcepiſſe deliberationem de vitæ ſtatu, conſilio tam ſapienti, quàm omnibus imitando, nam ût rectè obſervat Gregorius Nazianzenus. *Certum vitæ genus conſtituere eſt res tanti momenti, ut totius vitæ vel rectè, vel malè tractæ fundamentum in eo ſit poſitum.* Nam licet Deus omnes velit fieri ſalvos, adeóque ſingulis aliquam gratiarum ſeriem præparaverit, quæ ſi à nulla creata voluntate turbetur, illos certò ad Cœlum deductura eſt; non tamen per eandem omnes viam ſeu vitæ ſtatum deducit, ſed gratias efficaces aliquibus paratas alligat ad certum ſtatum, quem ſi ipſi vel defectu prudentis deliberationis non agnoſcunt ſibi à Deo præfixum, vel agnitum amplecti nolunt, ſed ad alium ſe transferunt, poſſunt in eo quidem ſalvari, ſed quia ſilum divinæ circa ſe Providentiæ turbarunt Deus illos in gravia peccata labi ſinit: itàque gratia finali & æterna beatitudine ſua culpa privantur. Hoc doceris ex illo Prov. 1. *Vocavi, & renuiſtis Deſpexiſtis omne conſilium* (obſerva: *conſilium meum --- Ego quoque in interitu veſtro ridebo*. Hinc S. Gregorius in Epiſt. ad Maur. Imp. *ſunt, qui niſi omnia reliquerint, ſalvari apud*

Deum

Deum nullatenus possunt. Videndum proinde cuique salutis suæ studioso, ne in tam grave discrimen per suam incuriam se coniiciat, sed prudenter de vitæ statu deliberet, ut agnoscat, qua ipse via se ad Cœlos deducendum sperare possit.

Notaveris etiam superius, Mariophilum nostrum, ut in perfecti Sodalis ideam se se expoliret, familiarissimum sibi feciſſe frequentem usum examinum conscientiæ. Quater subin de die id instituebat : horis subin singulis in se ipsum descendebat, conscientiæ suæ latebras excussurus : nec tantùm id sapiens hic adolescens factitabat, sed & censorio judicio, creberrimè in singulas suas actiones animadvertebat. Poterat & hic, si libuisset, idem de se profiteri, quod Romanus sapiens : *speculator mei, censorque secretus cognosco de moribus meis.*

Imitare tu quoque & informatus verbis, & instructus exemplis, ac attende tibi, qui tibi ipsi cavere à te ipso cupis. Nemo namque lædi-tur, nisi à se ipso. Nosce te, ut vincas, regredere in te ipsum sæpissimè, ut noscas. Anguilla in se ipsam retorta, quem cingit, suffocat. Elanguescent vitia, si in te ipsum crebriùs te reflexeris. Denique velim sapienti credas : *qui peccare se nescit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequam emendes.* Seneca ep. 28.

Examini conscientiæ generali adjungebat Particulare. Deligebat nimirum è toto vitiorum agmine quasi ad singulare certamen provocandum unum, cum quo strenuè congrediebatur, atque debellabat, tum aliud, atque aliud tentandum, ac con-

convellendum aggreſſus. Incredibile dictu eſt, quot victorias ſpondeat hoc armorum genus, cui vitia penitus exſcindere animus eſt. Contra multa ſimul vitia decertare, eſt omnibus indulgere. Nec Hercules contra duos. Unum deſignandum eſt, quod in ſingulare certamen deligas; aliàs nullum vinces. Tela ſeorſim fragilia, in faſciculum ligata quodvis robur eludunt. Ita vitiorum omnium victor erit, qui contra ſingula pugnaverit; Unde Thomas ille Kempenſis: *ſi omni anno*, inquit, *unum vitium extirparemus, citò viri perfecti evaderemus*.

Suaſerim autem, ut primò omnium ſecurim admoveas paſſioni tuæ principi, ac prædominanti, quæ cæterorum velut dux eſt & mater fæcundiſſima malorum. Implacabile debet bellum intercedere ſe inter & vitium illud, quod tam diu calcaneo tuo inſidiabitur, quam diu vita ſupererit. Non morietur hoſtis ille, niſi te mortuo. Ut ille ſemper in armis, ita tu ſemper eſto in vigilia. Ut capite ſucciſo membra omnia concidunt, ſublato duce diſſipatur exercitus, ita debellata paſſione principe cæteræ ducuntur in triumphum.

Imitare & illud Conſodalis tui perenne orationis ſtudium, præſertim id, quod mente peragitur, quo ille velut ſcala uſus ad excelſum illum perfectionis aſcendit apicem: Nec mirum: in hac orandi methodo rerum omnium eam vilitatem intueri licet, quam facilè deſpicit, amoremqúe ſuum ab illis abſtractum ad Deum, cujus infinitam præſtantiam uſu atque conſuetudine

ne propiùs nosse incipit, transfert. In hoc pia commentandi studio virtutis pulchritudo atque sincera jucunditas se se aperit, vitiorúmque turpitudo, & molestissimi aculei in lucem, ac conspectum proferuntur, quo fit, ut virtus probè cognita nullo negotio ad se trahat, & vitia remotô falsæ voluptatis velô prodita, horrore sui abs se cautiores absterreant.

Nec abs re feceris si ad imitationem Mariophili nostri ad S. P. Ignatii obeunda sacra Exercitia mentem aliquando adjeceris. Si prava quadam peccandi consvetudine gravatus teneris, in hac spiritûs officina ferrea illa dissolvetur ac colliquescet catena. Si velut in labyrintho quodam cogitationum deprehensus, nescias, ad quem vitæ statum te transferas, hæc Ariadnæum filum porrigent, quo elucteris. Si Cœlestibus donis mentem tuam irrorari cupis, hic toto sinu pluviam excipies. Enimvero si unquam ullum tempus est, cùm se animus Deo dilatat ad ejus opes capiendas, illud est, quo à curis aliis liber Deo vacat. Hic se Divina liberalitas ubertim infundit, capacémque mentem sanctissimis votis, ipsóque adeò Deo complet, unde alacris ad pia veluti secundô ventô inferatur. Verbo: in hoc mentis silentio, in hac rerum omnium oblivione & nuditate vera cordis requies, vera tranquillltas sita est. Ibi reperitur Deus, ubi omnes creaturæ deseruntur.

Et profectò his ex Exercitiis tam mirabiles morum, vitæque totius mutationes ex[illegible]

tan-

tantúmque lumen vivendi accensum est, ut Bartholomæus Torres Episcopus Canarienſis testatus sit, *eum, triginta annis, quibus versatus sit in studiis sapientiæ, & permultis, quibus Theologiam docuerit, nunquam ad suam utilitatem didicisse tantum, quantum se Exercitia paucis diebus docuerunt. Ac neminem sibi cognitum ait, qui non pietatis magnum inde profectum retulerit, palamque prædicaret, nihil omnino è mortalibus rebus se volvisse iis antelatum. Atque utinam,* inquit, *quanti est ille thesaurus, tanti æstimare possemus.*

Et ex his orationum fontibus videtur scaturiisse in Mariophilo nostro illa puritas intentionis, illa accuratissima in omnibus operibus suis agendi ratio: Poterat & ille dicere cum Psalmista: *oculi mei semper ad Dominum* Ps. 24. Oculus actionum intentio est: Oculos ad Dominum semper habet, qui per intentionem ad amorem Dei dirigit omne, quod agit. Plus intentione nostra Deus, quam opere, conatu plus, quàm executione, voluntate potiùs, quàm reipsa delectatur, ad illius non hujus mensuram præmium constituit. Optima autem intentio, quæ ex puro profluit amore Dei. Aurum est charitas; ut ab illo ignobilia etiam metalla vel ligna fulgorem, sic ab hac viles, omittendæque aliàs actiones pretium accipiunt.

Oportet autem & bona benè facere: benè facere est rem ad legum amussim facere; suo rem quamque tempore & modo facere; à neutro vel latum unguem discedere. Sic qui agit, multùm

facit,

facit, esto non multa. Aliud enim est bona facere, aliud bonum effici; nec enim quia bona feceris, continuò factus es bonus, nisi benè eadem feceris. Bona & non benè facere, idem est, ac characteres, quos formas, litura obliterare.

Oportet insuper, ut cum Sodali nostro in operibus tuis excellens sis, ut res obviæ, quæ ad manum sunt, & facilè passim occurrunt, nec sui desiderium, ut obtineantur, nec obtentæ solatium creant: ita opera vulgaria numerum non pretium faciunt. Ponderat Deus, non numerat opera; rem, non censum attendit. Vide quid ei offeras; & memento tuo, ùt supremo rerum omnium Domino, rara, exquisita & planè insignia esse debere, quæ offerri mereantur.

Præprimis autem velim, ut Sodalis nostri Tridentini vestigiis insistas in pravarum societatum fuga. E pueritiæ quasi portu egressis primus scopulus, isque periculosissimus, occurrunt socii: hi innocentiæ piratæ velis remisque devitandi sunt, ac nunquam magis, ac quando, ne videantur lupi, ovinam induunt, artificiosè nequitiam contegunt, ut eò grassentur nocentius. Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis Prov. c. 3. monebat sapiens: lac isti proponant: intus est venenum. Quare ùt primùm advertis te iam apertè advocari ad flagitium, clama *lupus hic, hic lupus est*, & amicitiam istam non dissolve, sed rumpe. Evangelii præceptum est: *si oculus tuus dexter scandalizat te erue eum, & proiice abste*. Sit & amicus iste

 ocu-

oculo dextro charior, abige à te isto Christi baculo: *vade post me Sathana, scandalum es mihi*, aut isto S. Agnetis flagello: *discede à me pabulum mortis, fomes peccati*. Quòd si canis impudens urgere pergat, perge tu obniti, *non faciam latres, & oblatres licet usque, & usque non faciam*. Non audeo, inquis: quid non audes? negare. Negare audes; ille ausit rogare? Sed spernar, traducar, irridebor! Quid inde? Ut vermis fructus magìs maturos, ita malitia eos plerumque arrodit acerbiùs, qui meliores. Certum bonitatis indicium est, malis displicuisse: vituperium foret, à talibus amari & commendari. Nihil pensi habe, si de te ii loquantur malè, qui nihil faciunt benè. Nec censeri debet malum, unde meliores simus. Cos ista virtutis est. Non parum juvant mali probos, dum persequuntur, augent patientiam, merita cumulant.

Hortabatur etiam alios Tridentinus hic Sodalis, ne larvati incederent: Deum etiam rogabat ut Principibus inspiraret, ne larvas, & profanas comœdias permitterent. Ita acta Congregationis. Verùm tu in istis nil latere periculi, tuta omnia arbitrabere! sed toto aberras Cœlo. Inter gravissimas cacodæmonis impugantiones, quibus etiam pudicæ mentes exagitantur sunt formæ, quas oculis, cæterisque sensibus infernalis Protheus obiicit. Irritamenta præsertim libidinis tam artificioso penicillo expingit veterator, ut multi præsertim juvenilis ætatis, cum illo vetiti amoris magistro, & ciniflone exclamare cogantur: *ut vidi, ut perii! ut me meus abstulit error*: Dea

cypri-

cyprica (sic luxuriam Poëtæ nominant) miseris mortalibus, ut versutiùs illudat, varios in comitatu suo stipatores habet : nam, & vestium luxus se spectandum exhibet, & odorata nariũ illicia suavem auram spirant, & cantores, ac cantatrices duleibus modulis personant ; crispatis capillis ephœbi, & formosæ adolescentulæ venustate oris blandiuntur aspectui ; unde fit, ut haud pauci hoc spectaculo capti, se se assecias huic choragio applicent. Quibus clam imagines hæ semel visæ adeò tenaciter adhærent, ut frustra conentur eas è memoria delere ; quidquid agant, & abigant, redeunt species, & vel invitos vellicant. Alii non contenti hanc lascivam vanitatis pompam oculis spectare, sensu experiri, etiam animo revolvunt, & repetita sæpius delectatione, degustant.

Quare meum sequere consilium, & missis hisludricis lubricæ voluptatis irritamentis, ac vanitatis illecebris tuos oculos, tua studia, tuos amores in eam transfer, quæ sola est *Mater pulchræ dilectionis*. Ad hoc præstandum, uti innumeris aliis teneris titulis, sic quàm maximè obligaris ex eo, quòd sis Sodalis, id est Mariæ filius. Mariophilus noster, ut statim in primo legeris capite, solitus erat Mariam non alio compellare nomine, quàm *Mater mea*. quo indicare voluit, Mariam esse Matrem Sodalium : Sed nunquid illa est Mater Christianorum omnium ? equidem non diffiteor ; sed significare voluit, Mariam Sodalium esse Matrem singularem, & non ordinariâ quadam prærogativâ, Sol in om-

nia quidem hæc inferiora corpora beneficos ſuos diſpenſat radios ; ſed non omnibus æquali eos munificentia impertit. Gemmæ & uniones dicuntur illius partus proprii, horum auctor ille & parens : in reliqua, ùt cauſa univerſalis, in has influit ùt cauſa particularis. Gemmæ ſunt Sodales, quos ùt partum ſibi ex aſſe proprium vendicat Mulier illa veſtita ſole. Horum illa ſola & parens, & auctor. Myſticum hoc Congregationis corpus Illa ſola concepit, & intra protectionis ſuæ ſinum recepit ; hoc Illa coagmentavit, ad ſui ſimiſitudinem Marianis ſuis efformavit legibus, & in publicam Chriſtiani orbis lucem enixa eſt : hunc partum Illa tot lactavit gratiis, educavit virtutibus, & ad ſuum perfectionis ſtatum perduxit. Quod ſi ex his Maternitatis titulis nondum ſatis perſpiceres, quænam Sodalium Mater? Sodales ipſos conſidera : nam, & ex ſimilitudine haud obſcurè colligere eſt, quænam Mater. Eſt filius imago Patris, imago matris in utriuſque ſimilitudinem genita. Quis autem magnæ huic Matri moribus ſimilior genuino Sodali? Sed, & ex affectu, ex dilectione filiali tandem agnoſcitur, quænam vera Mater. Si in integro quodam agnorum grege cognoſcere vis, quænam hujus vel illius agniculi mater, ad quid attendis? Illam agnam in quam agniculus ſuos identidem intendit oculos, ad quam exterritus recurrit, cujus lateri perpetuò adhæret, à cujus uberibus pendet, hanc, inquam agnam indubitató matrem pronuntias. Eâdem utere regulâ, ut quænam veri

Sodalis exiſtat Mater, dignoſcas. Attende defunctum hunc Sodalem noſtrum, cujus Matris ille filius, quo jure Virginem ſuam vocitârit Matrem. Erat Maria amorum ſuorum ſcopus, in hac vivens defixos perpetuò tenebat mentis, & corporis oculos; ad hanc identidem tot ſuis recurrebat ſuſpiriis, ab ejus ſinu non poterat avelli, ab ejus Maternis uberibus pendere totus eſt viſus: Et talem filium, eique ſimiles Maria non redamet? non in ſinu ferat? ſanè faciet, & non ſine eorum maximô emolumentô. Nam *ego*, inquit, *diligentes me diligo, & qui manè vigilant ad me, invenient me. Mecum ſunt divitiæ & gloria, opes ſuperbæ, & juſtitia. Melior eſt enim fructus meus auro, & lapide pretioſo, & genimina mea argento electo. In viis juſtitiæ ambulo: in medio ſemitarum iudicii; ut ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam* Proverb. 8. Expectamus iſta? diligamus Mariam; & hunc amorem quibus quibus modis, novi veteréſque ſint foveamus. Illa nos ſemper amat. Eam ergo iam *amet, qui nunquam amavit, quique amavit* iam *amet*.

CAPUT XV.

Pius obitus trium adolescentum Sodalium Tridentinorum.

Lubet hìc coronidis locò tres alios adolescentes in medium proferre, ut, quos in eodem Odeo idem Marianum studium conjunxerat, laudis prærogativa non separet.

§ I.

Pius obitus Joannis Haim.

ANno 1630. Crudelis Parca sæviit in nostrum viridarium, & charissimum nobis florem meruit ad beatiores hortos transplantandum. Erat is egregiæ indolis, & vitæ integerrimæ adolescens Joannes à Haim Abusiacensis Tirolensis, qui cùm stadium Gymnasii nostri percurrisset, simul & vitæ absolvit, pulcherrimas, quas imitentur, virtutes posteris relinquens. Qui vidit adolescentem quovis tempore, pietatis effigiem se vidisse fatebatur; adeò vultu, incessu, sermone nil nisi pium spirabat, ut vulgò suo tempore Angelus diceretur, ac omnes tum raris eximiæ suæ virtutis, & ingenii pariter dotibus, tum prudentiâ supra ætatem maturâ in amorem raperet, & admiratio-

nem. Nihil in eo juvenile præter ætatem, incessu tam modesto & humili, oculis nunquam à terra elevatis, ut intuentes componeret, & viva quædam esset, perpetuáque liberiorum morum censura. Fuit vivum planè Marianarum legum ectypon, in quo virtutes omnes, quas eæ præcipiunt, velut in pellucido speculo, erant contemplandæ.

Cùm sanus adhuc esset, optimis se se ad moriendum armis velut futurorum præsagus munivit: conscientiam enim ita sagaci, & maturo judicio excoluit, ut etiam à minutis peccatorum maculis quàm diligentissimè se se præservârit. Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ æstimatione supra ætatem seria & attenta obibat. Diebus præsertim festivis, & vacationum quàm multis sæpiùs officiis non adstitit piissimus templi incola? Gaudebat nimirum quàm maximè, si diuturniore sacræ hostiæ aspectu pascere oculos quotidie posset, cùm corpus, & animam quotidie non liceret.

Cùm in morbum incidisset, cæteris nil mali opinantibus, ipse unus in æterna intentus, cepit disponere domui suæ: accersito igitur ad morbi initium animæ medico, tanta animi pœnitudine, resignatione, ad mortem promptitudine, conscientiam suam mundavit, ut contrarium sentiente confessario, constanter diceret, morbum hunc sibi supremum fore. Atque idcirco enixè eundem rogavit, ut constanter sibi adesset, piis colloquiis, & documentis ad supremam luctam animandô.

Sacrum

Sacrum Viaticum cùm acciperet, ardentissimæ devotione, ac demissione animi *confiteor* recitans, plurimísque jaculatoriis precibus usus, & has inter cùm sacra Hostia porrigeretur Divinum Hospitem ardentibus verbis : *veni dilecte mi!* in sui cordis domicilium invitans, licet admodum debilis magnopere ædificavit circumstantes.

Castimoniæ ùt integerrimus cultor exstitit in vita, sic quoque in morte: adeò, ut in morbi indigentia nec ancillulæ ministeria æquô animô ferret *Mallem* inquiebat, *omnium fœminarum præsentia & aspectu carere* : nimirum nauseabat cæterarum præsentiam, qui ex omnibus mulieribus Benedictam pridem in vitæ mortísque Dominam ac Patronam assumpserat. Illibatum castitatis florem tumulo intulisse, nemo fuit, qui ambigeret. Nec mirum: ínsidiantem voluptatem ferrô terrebat, ac arcebat, flagris ciliciísque frequenter usus, ac sibi severus pro lecto corpus in asfere sæpè reclinavit, non nisi pane, & aqua pastus, exemplô docens, quo quietior situ jaceret castitas, quo edulio saginaretur innocentia.

Interea vitæ ac naturæ viribus magnopere defluentibus, quò ille Cœlo viciniùs appropinquabat, eò propiores indè voluptates præsentire videbatur. Nesciebat enim mens recti conscia mortem timere, sed lætus ac gaudens eam præstolabatur: & quid ni ? Vitæ hujus exitum non timet, qui alterius ingressum sperat. Nulla parentum, nulla amicorum solicitudo, imò nec mentio, totus in Deum, B. Virginem ac SS. Patronos absorptus. Inter ipsa deliria diuturna

solùm

solùm Divina, quibus cor abundabat, os loquebatur affectu ardentissimo. Commendationem animæ ex more Ecclesiæ voce moribunda recitavit, identidem imaginem Crucifixi, & manibus & brachiis arctissimè stringens, ac suavissimè deosculatus.

Patientia in morbo inusitata, & miranda in illo fuit. Cùm sorbitiunculas, & fomenta medici præscriberent, à quibus summopere abhorrebat, ad nutum tamen eorum sumebat, qui illa amore Dei, & Sanctorum offerebant; licèt sæpè ad lacrymas usque illa fastidiret: attamen ad solum B. Virginis, aut Dei nomen lubens volénsque amara omnia, duráque admisit. Illud verò cumprimis insitam virtutem luculenter patefecit, quod molesta primùm labe, mox cruciatibus acerrimis, & ulceribus altè depressis morbus diuturnus tantùm non potuerit, ut ab adolescentis ore morosam vel acerbam vocem seu notam extorqueret. Ex nulla alia re haud aliàs facilius scire possumus, quanta virtute animum quis instruxerit suum, quàm cùm ægrotat: plerumquè enim inter corporis morbos, animus suos exserit. Unde in hac mentis æquabilitate constantem quamdam adolescentis virtutem, eámque solidam deprehendere licuit.

In suprema luctа, cùm animam Creatori redderet, neque lingua formare voccm sat posset, in Sanctorum suffragiis, quæ Sacerdos alta voce implorabat, ipse æger moribundo sono S. Catharinam, S. Magdalenam inclamavit ad luctam. Identidem in effigiem Magnæ Matris inter crebra

bra ſuſpiria, oſculáve ita oculos defixos tenebat, ut in eam animo, & propè corpore toto immigrâſſe videretur. Fluebat lætitiâ pectus, natabat in gaudiis animus, omnes ſenſus mira quadam animi voluptate perfundebantur, cùm adſtans conſcientiæ moderator ei in memoriam revocaret, quod Sodalis eſſet, & iam ad recipiendum fidelis ſuæ ſervitutis præmium evocaretur. Hinc formulam Sodalitatis in extremis maximo cum guſtu, & affectu aliquoties pronuntiavit, cordis ſui hæredem B. Virginem ſcribens, adjuncto pretioſo quodam anathemate à parentibus ſibi olim ſubmiſſo.

In exhalanda anima ſummam animi, & conſcientiæ tranquillitatem præſeferebat? nil horridum aut anxium ſpirans, ſed ad B. Virginem compoſitus vultus videbatur. Imò inchoatas à Confeſſario ultimas preces ipſe non modo abſolvit, ſed moribundum cygnum imitatus, emoriente licet ſed hilari voce illud *ſub tuum præſidium* ſuaviſſimè modulatus pulcherrimam & vitæ & odæ fecit clauſulam, non à canitie, ſed à virtutum candore æſtimandus olor.

§ II.

Pius obitus Caroli à Roccabruna.

NObiles cunas Carolus Tridenti habuit, nobiliores nutrices muſas. Harum in ſinu non profanam modo, ſed ſanctiorem ſapientiam imbibit, & virtutem, non ignarus, nec in generis, nec in ingenii nobilitate quidquam eſſe gloriæ, ſi virtute deſtituta ſe ad ignobilium ſortem abiiciat. Plus utramque ad contumeliam, quàm ſui commendationem momenti afferre. Quòd ſi gratior è pulchro corpore venit virtus, gratiſſima certè venerit, neceſsè eſt in Carolo, in quo, & forma rara, & indoles elegans, & mores ſuaviſſimi certamen de palma videntur ſuſcepiſſe, me quidem judice his omnibus imperavit rara quædam verecundia, virgineíque candoris diligens perpetuáque cuſtodia. Quid amabilius exclamat hic Bernardus eſt adoleſcente verecundo? Quàm pulchra, & quàm ſplendida gemma eſt modeſtia in vita, & vultu? Quàm minimè dubia verę ſpei nuntia, index bonę indolis, virga diſciplinæ, expugnatrix malorum, propugnatrix puritatis innatę, ſpecialis gloria conſcientiæ, famæ cuſtos, vitæ decus, virtutis ſedes, naturæ laus, honeſtatis inſigne.

Omnes proin Carolus ob modeſtiam, & verecundiam ſingularem amore ſibi devinciebat, & viciſſim ſuſpiciebant omnes, et velut in morum

ſpe-

ſpeculum intuebantur. Jugis ejus hęc modeſtia cùm aliàs traheret oculos, longè fortius rapiebat, quando in Jeſu, & Mariæ obſequijs occupari ſinebatur. Nil illi magìs volupe, & frequens fuit, quàm adeſſe rebus Divinis, Sodalitatis congreſſus, & officia frequentare, recurrere indefeſſum ad Sacramenta, virorum ſpiritualium frui conſortio, & familiaritate: aliam amicitiam, vel ſocietatem nec amabat, nec admittebat, niſi fortè pijſſimorum:

Anima ejus innocentiſſima non tam candidiſſimi caſtimoniæ lilij, quàm vireti integri rariſſimis floribus conſiti ſpeciem referebat: Tot enim jam in adoleſcente virtutes apparebant, quot ab adulta ætate perfectior pietas poſſet deſiderare, Præciputè verò eminebat in eo Mariæ amor. Hanc poſt Deum ſibi unicè cultam novo ſemper varióque tenerrimi amoris incremento venerari inſtitit. Illius honori dedicata frequentare templa: illius vertici quotidianas è ſalutationis angelicæ roſis contextas corollas imponere; Illius celebrationi quotidiè officium Marianum recitare, Illius venerationi diebus ſabbatinis omnibus aculeatum è filo ferreo geſtare cingulum ſolebat. Et ex hoc Marię cultu (qui nunquam ſterilis eſt) tanquam ex fonte promanârunt virtutes in illo complures aliæ, quę Marianam pietatem velut pedi ſequæ comitari ſolent. Si Divino accumberet epulo, quod ſolebat frequentiſſimè, Cæleſtium deliciarum flumini innatare videbatur; ita madebant oculi lacrymis, cor in ſingultus, & ſuſpiria prorumpebat. Et hæc devotionis interna ſigna

non

non dubia pariter apparebant, sive in lustrandâ accuratè per quotidianum noctis examen conscientiâ, sive in obeunda post longam præparationem exhomologesi, ubi ad scrupulum usque fuit diligens; Nimirum & ipse cum veris Mariæ Sodalibus vitę morúmque integritate quàm proximè assequi laboraverat Marianarum virtutum exempla, quæ eadem reluxerunt plurima in omni ejus licet perexiguo vitæ curriculo circumscripta.

Denique cùm, & genus, & opes, & præclara indoles in maximam spem eum ducerent, ille magnanimo juvene dignissimum facinus aggressus est, cepítque supra humana ire; iamque in eo erat, ut abdicatis iis, quæ nos imbelles animæ miraremur, Deo se penitus in Religioso ordine emanciparet: nec longè à voto aberat, cùm vitæ metam contigit, subductus tutissimum in portum, raptúsque, ne malitia mutaret intellectum. Cui iam vel spectanti non acerbissimus contigit hic falcis præmaturus *i*ctus? solus ille inter voluntatis Divinæ brachia suavissimè, conquiescens excepit mortem paratissimus; cui vicinus continuos virtutum maximarum actus elicuit ita, ut esset Religiosis etiam admirationi, & exemplo. Unâ ante mortem horulâ fassus est conscientiæ suæ moderatori, hoc unum sibi displicere, quod in Societate Jesu mori non contingeret, & bonum suum propositum exequi non valeret. Sed Deo visum est, illum potius ad stipendia accipienda, quàm facienda evocare, ostenderéque; quòd sæpè virtus transcendat annos, & longum iter brevi compendio absolvat. Ne-

que enim interest, quamdiu vixeris, sed quàm benè vixeris.

Ex quo etiam apparebat, eum multo ante probâsse institituti Religiosi rationem, quàm capessere licebat, illo virtutum apparatu viam sibi communiens ad vitam Religiosam tutò ineundam, relicto posteris insigni documento, quæ dispositiones præmittendæ vocationem ad Religionem prosequentibus: nempe vitæ innocentiam, mores incorruptos, habitus bonorum operum insitos animo. Neque enim Religiosus status ad agendam pœnitentiam tantummodò institutus est, sed plerumque ad prosequendam tantùm virtutem, neque ad dedocendos mores, sed ad confirmandos promovendósque *in bono*. Quare qui obnoxium se vitijs constituit, potius aditum sibi vitæ religiosæ præcludit, quàm aperiat accessum.

§ III.

Pius obitus Dominici Locatellj.

OCtavo Calendas Junij Anno à partu Virgineo 1642 exhalavit florentem animam Nobilis Adolescens Dominicus Locatellus perpetuum Elysiis in hortis ver ornaturus. Sperare hoc jubet eximia ejus & rara prorsus virtus, cui cùm natalium splendor accessisset, nescio quantum amplius arridebat, & quasi quandam inde dignitatem trahebat, sicut si lumen à Chrystallo aut

secti-

ſectili gemma pelluceat, *amænius emicat quàm è cornu*, ut Virgilius ait, ſic & virtus in trabea & inter imagines Nobilium ſplendidior eſt quàm in lacerna. Nam & in cæteris intereſt; ex auróne, an ligno quid conſtet.

Suo tempore ſplendidiorem gemmam non vidit Sodalitium noſtrum, Adoleſcentem ſuperis juxta ac hominibus charum, & animi candore prorſus amabilem. Teſtabantur id condiſcipuli, faſſi ſunt domeſtici, qui omnes uno ore, ſe toto, quo Tridenti fuit tempore, nihil quidquam, quod alicujus eum accuſaret labeculæ, notâſſe in eo aſſevcrârunt.

Suæ conſcientiæ rigidus exactor, quoties ſe propoſitum in exhomologeſi octiduana factum, violâſſe deprehendit, ducenties oſculatus eſt terram. Aliis carnis afflictionibus adeò erat aſſuetus, ut quantumvis ſecreti ſui tenax, cæteros tamen Sodales ſuos effugere haud potuerit, qui Dominici inter ludendum tardidatem cilicii uſui adſcribebant, & ubi ſubinde ab iiſdem ad pilæ luſum invitatus recuſâſſet, piô jocô inter ſe Dominicum cilicium induiſſe dictitabant. Ciborum abſtinentiæ mirùm deditus ſabbatino jejunio alterum, tertiumve addebat. Nec paupertatis virtutem ignorâſſe viſus eſt divitis aliàs fortunæ adoleſcens, cùm omnes pecunias domo ſæpè, & copioſè ſubmiſſas matrifamilias ſervandas tradiderit, vix obolô ſibi relictô, nec quidquam, niſi amore Dei mendicabuli inſtar ab ea repetierit.

Aſſiduam ſacris libris operam navans ſpatiô

trium

trium menſium octo ſatis prolixos aſcetas evolvit, lectáque etiam animo impreſſiſſe factis docuit, dum in dies majora virtutis ſpecimina exhibuit. Singulari tamen deſiderio legendi geſta S. Aloyſii, atque Ubaldini tenebatur, quos non minori etiam ſtudio imitari conatus erat. Non diu ante obitum donaverat ei Magiſter effigiem Ubaldini, (cui pictor cincinnos cultáſque veſtes appoſuerat, non tam ad virtutis, quàm ſanguinis nobilitatem in hoc juvene oſtendendam): atque, ut dono gratiam adderet: En Dominice! inquit, quàm fortem fuiſſe oportet animum juvenis iſtius, quo tam ſpartano contemptu tam formoſos crines, pretioſumque abjecit veſtitum? Verba iſta, quæ Pater protulerat, ſeriùs interpretatus, quamprimum domum redux quadraſſem ex ſuo ſat divite ærario, & hunc non jure, ſed amore Dei pauperum more popoſcit, quo accepto rectà ad tonſtrinam properans ſibi, quos modeſtiſſimè aluerat, crines, ad ludibrium uſque abſcindi curavit. Eâdem prope conſtantiâ ſubmiſſas ſibi, ſemélque duntaxat corpori adhibitas veſtes, purpurâ auróque ſuperbas, rejecit, firmiſſimô ſanciens propoſitô eas nunquam ampliùs induere. An non de Nobili hoc, & prædivite adoleſcente de omnibus mundi illiciis tam generosè triumphante idipſum prædicari queat, quod Abbas Mellifluus ſat nunquam admirari potuit, dum exclamavit: Quid mirabilius, quàm inter epulas eſurire; inter veſtes multas, & pretioſas algere, paupertate premi inter divitias, quas affert mundus, quas oſtentat malignus,

gnus, quas desiderat noster iste appetitus? An non meritò coronabitur, qui sic certaverit, mundum abiiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, &, quod glorioſiùs est, de se ipso triumphans, & crucifigens concupiſcentiam prurientem?

Quanta verò rerum sacrarum siti flagraret, non exiguo argumento est, continuus ad Collegium Patrum Societatis Jesu accessus, quos nullo non die iterum iterúmque visitârat, nullâ, ut ipse candidè affirmare solebat, alia de causa, quàm ut suum rerum piarum famelicum animum satiare posset. Hinc integros sæpè recreationum dies à Magistri sui aut conscientiæ moderatoris ore hæsit, nec non nisi jussus ab illorum latere discessit.

Quàm demissè de se sentiret, modesta oris purpura vel in ipsis laudibus testata est, eum non tam hostis impacta manu, quàm laudantis lingua rubore suffundi. Virgini Patronæ suæ addictissimus cliens nullo non die ipsi horarum officium majus persolvit. Legum accuratissimè observans magnis passibus ad summos Parthenonis honores properavit, quos sine dubio, si supervixisset, brevì assecutus fuisset. Fermè nunquam domô egressus est, quin B. Virginem prolatâ antiphonâ *Salve Regina* sibi in comitem invitârit. Ipsius in honorem plura domi servilia munera egit non minore sui animi alacritate, quàm domesticorum admiratione. Eiusdem imaginem nunquam sine honoris signo exhibito prætergressus est, in quibus pietatis exercitiis ita se gessit, ut crederetur esse totus in devotione, & tota in eo devotio.

Mirum in eo præter cætera obſequendi ſtudium vel ad nutum majorum ſuorum promptiſſimum ut etiam in virtutum exercitio à conſcientiæ ſuæ Moderatoris conſilio nunquam vel unguem diſceſſerit. Interrogatus quodam Dominico dic à Magiſtro, cur pro more ad Sacrum Epulum non acceſſiſſet? ſe facultatis à Confeſſario petendæ oblitum eſſe, reſpondit.

Senilis in eo prudentia non obſcurum imminentis mortis præſagium fuit, ut non rarò integer adhuc, & ſanus ad ultimum certamen brevì ineundum à multis fuerit animatus, ad quod uti ſemper ſe paratum promptúmque dixit, talem ſe brevì poſt ipsô factô oſtendit in ultima cum morte lucta. Rationis & omnium ſenſuum uſu privatus eſt, ne intellectum, quem malitia toto vitæ tempore mutare non poterat, Dæmonis fraudes perverterent: néve quos innocens vita non meruerat, ferri igníſque cruciatus ſentire cogeretur, atque ita ad candidam ſtellarum patriam avolavit ſincera hæc, candidáque anima, tantò nitidiùs inter ætheris cives arſura illuſtrior, quantò vixit in hac mundi fœce purior, terſiórque.

OMNIA AD MAJOREM DEI, DEIPARÆQUE IMMACULATÆ HONOREM, ET GLORIAM.

PRO-

PROTESTATIO AUCTORIS.

QUoniam in hoc opuſculo aliqua narrantur, quæ vel miraculi ſpeciem, vel ſanctitatis nomen Adoleſcentibus probis conciliare videntur; proteſtor, me illa omnia humanâ tantùm, & hiſtoricâ fide, neque tanquam ab Apoſtolica Sede examinata atque approbata referre: ídque juxta mentem, & Decretum Urbani VIII. Summi Pontificis Anno 1631. editum ibíque circa res hujuſcemodi plura ſancientem: quæ ego omnia, & ſingula, prout decet obedientem Eccleſiæ filium amplector, & recipio: & ſecundùm eadem, lucubrationem hanc ab omnibus legi, intelligíque deſidero.

IN-

INDEX
ET
SYNOPSIS CAPITUM.

CAPUT I.

§. 1. *Joannis Baptista à Schulthaus castitas.* *fol.* 1.
§. 2. *Mortificationis, & propriæ abnegationis studium* *f.* 6.
§. 3. *Humilitas* *f.* 13.
§. 4. *Triumphus de respectibus humanis.* *f.* 19.
§. 5. *Zelus Mariane gloriæ* *f.* 25.

CAPUT II.

Exacta obedientia f. 32. *Sacramentorum frequentia f.* 34. *Puritas conscientiæ f.* 35. *Amor Dei f.* 37.

CAPUT III.

Candor animi erga conſcientiæ moderatorem f. 41.

Exercitia S. P. Ignatii ſub ejuſdem directione obita f. 43.

CAPUT IV.

§. 1. *Ejus deſiderium audiendi Verbi divini.* f. 47.

§. 2. *Studium lectionis ſacræ* f. 52.

CAPUT V.

Orationis aſſiduitas. f. 57.

CAPUT VI.

§. 1. *Devotio erga ſacrificium Miſſæ & S. Euchariſtiam* f. 62.

§ 2. *Meditatio Paſſionis Dominicæ.* f. 69.

CAPUT VII.

§. 1. *Ejus ordo diurnus.* f. 77.

§. 2. *Varia pietatis exercitia.*

CAPUT VIII.

§. 1. *Quando cum nobilibus aliquot adoleſcentibus privatam aliquam*

piamque Congregationem ëreixerit? f. 90.

§. 2. *Quomodo à pravis sociis eversam iterum instaurarit?* f. 96.

CAPUT IX.

§. 1. *Singularis ejus cultus Festorum B. Virginis.* f. 101.

§. 2. *Item aliorum Festorum* f. 109.

CAPUT X.

§. 1. *Cura ægris Sodalibus impensa.* f. 117.

§. 2. *Cura funeris Sodalium.* f. 121.

CAPUT XI.

§. 1. *Mariana Præfectura præclarè ab eo gesta.* f. 125.

§. 2. *Quantus ejus erga Virginem amor.* f. 129.

CAPUT XII.

§. 1. *Ejus charitas erga proximum, & conservandæ pacis studium.* f. 136.

§. 2. *Fuga pravarum societatum.* f. 145.

CAPUT

CAPUT XIII.

Ejus in omnibus operibus ſuis perfecta agendi ratio, ac conſtantia. f. 152. *Pia mors.* f. 159.

CAPUT XIV.

Anacephalæoſis hactenus dictorum, & Paræneſis ad Marianos clientes. f. 165.

CAPUT XV.

Exhibet pios obitus trium nobilium adoleſcentum noſtrorum Sodalium.

§. 1. *Pius obitus Joannis ab Haim.* f. 182.

§. 2. *Caroli à Roccabruna.* f. 187.

§. 3. *Dominici Locatelli.* f. 190.

CVBOL. XII.

CVBOL. XIII.

CVBOL. XIV.

INDEX

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Hofer, Johann Baptist,

Idea perfecti sodalis olim in praenobili adolescente Ioanne Baptista a Schulthaus Tridenti spectata, nunc ad imitandum proposita a Congregatione Minore Tridentina Virginis Immaculatae anno suo saeculari

Tridenti 1727

Augsburg, Staats- und Stadtbibliothek -- Th Pr 2219#(Beibd.
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11291753-0